Kurz beurtheilende Anzeige im Repertor. der ges. d. Lit. 5tes Heft S. 453. 1838.
Unter andern heißt es S. 454. „Hier muß nun aber Ref. offen gestehen, daß es über seine Kräfte geht, einen vollständigen und doch zugleich übersichtlichen Auszug zu geben. Herr Nitzsch ist weder verworren noch unterhaltend; dennoch ist seine Darstellungsweise so ganz eigenthümlich, wir möchten sagen, häufig so ganz ohne Vorder=, Mittel= und Hintergrund, daß es nur der angestrengtesten Aufmerksamkeit gelingt, ihm zu folgen und das Gesagte festzuhalten, und daß man doch am Ende zu keiner ganz klaren Totalanschauung kommt."

[illegible]

+ [illegible] de variis rebus confabulantium [illegible] et quoniam [illegible] sententias obiter audiverunt, tantum sibi [illegible], ut illorum disputationes quae [illegible] quas sensus habeant [illegible] ... Sibyllae [illegible] ventis [illegible] ... Aeneid. III. 446.

DE

HISTORIA HOMERI

MAXIMEQUE

DE SCRIPTORUM CARMINUM AETATE

MELETEMATA.

SCRIPSIT

GREGOR. GUILIELMUS NITZSCH

ANTIQU. LITER. IN ACAD. KILIENSI PROFESSOR ORDIN. DANEBROG. EQUES AURAT.

FASCICULUS POSTERIOR.

HANNOVERAE

IN BIBLIOPOLIO AULICO HAHNIANO

MDCCCXXXVII.

Thiersch
1838

INDEX.

PRÆFATIO.

Quae hoc fasciculo continentur commentationes per plurium annorum intervalla in usum prolusionum academicarum primum conscriptae sunt. Hac scribendi condicione factum est, ut, quoniam novae interea doctorum hominum disputationes incidissent, a via antehac praefinita mihi subinde declinandum viderem. Animadverti autem et comparavi hoc operae meae progressu omnia, quae in caussae sive usum sive periculum post editum fascic. I ab aliis disputata sunt. Inveni plures, quibuscum mihi nescio quid discordiae concordis incideret, quam qui afferrent adversum, quod multum valeret. Certe cur ipse de sententia decederem, quam in priore fasciculo et in praefatione ad Annotatt. in Odyss. Vol. II. professus eram, caussam vidi nullam; neque nunc, quum has commentationes collectas ederem, multa retractavi. Eduntur nunc in universum tales, quales primum editae erant, nisi quod nonnulla recidenda aut leviter inflectenda visa sunt et locus Commentat. II qui de Homeridis Chiis fuerat nunc cum prioris sententiae correctione aliqua magis exactus legitur p. 68—76, quo gentis illam notionem ad verum revocarem. Peculiaris illa discordiae concordis ratio mihi prae ceteris cum Welckero intercedit, qui meam illam de Homero novae aetatis vel artis principe sententiam in libro, quem de Cyclo epico poetisque Homericis scripsit, plenius ille quidem et nova luce illustravit, sed simul memoriam poetae nomine ejus ad omnes aemulos et ingentem carminum, quae eadem cyclica essent numerum propagato multis modis corrupit. Probavit vir elegantissimus inventum suum neque aliis, qui censuras scripserunt vel alias publice professi sunt *), neque mihi, qui praeter ea, quae in

---

*) V. O. Muellerum huj. fascic. p. 23. Herm. Ulrici in Annal. Berolin. a. 1836. m. Jun. p. 922 sqq. L. Prellerum in Ephem. Liter. Halens.

Commentat. hujus fasciculi quarto legentur, fusius contra eum disputavi in ephemerid. Halensibus. At si quaestionem, quae de Iliadis et Odysseae forma genuina est, exemeris rursus alteri, quae de Cyclo epico a Welckero male implicata est, redegerisque nomen Homeri in fines suos, denique si ea sola adhibueris, quae Welckerus de Iliadis et Odysseae ab uno compositis et per agonum dies recitatis, deque aemulorum arte commentatus est, tum intelliges ejus opera ac virtute plurimum roboris accessisse sententiae quae carmina pulcerrima a Wolfii suspicionibus vindicat. Atque attinet hoc loco definire vel profiteri, quem in locum vindiciae nunc perductae esse videantur. In quo etiam adversariis, maximeque Hermanno respondendi copia erit, qui edito de interpolationibus Homeri libello praestare voluit, quod postulassem, ut majorum interpolationum indicia et earum afferrentur, quibus illatis ipsa forma carminum et descriptio vel difficta vel secum ipsa parum congrua esse deprehenderetur. Ordiendum est autem a mea ipsius opera, qualiscunque adhuc fuit.

Consilium et spes omnis, quae his Meletematis proposita erat, eo continebatur, ut ab externis argumentis non aliam probabiliter sententiam duci posse demonstrarem, nisi qua Iliadem et Odysseam singulis quidem locis iisque etiam majoribus quibusdam auctas esse a singulis rhapsodis concederemus, sed iidem crederemus jam ante Arctini Stasinique aetatem ab uno poeta et Homero denique in eam fere, quae nunc est, descriptionem compositas fuisse, ut critica opera omnis in interpolationibus ad ipsam operum descriptionem exigendis consistere deberet. Pertinebat igitur quod propositum erat, non ultra externorum argumentorum vim, neque quidquam quaesitum est, nisi ut ne critici suspicionem domo afferrent neve animo parum libero ad exigendum carminum decursum accederent; internis argumentis relictum est, quicquid valere possunt. Quodsi quispiam adversarius liberum animum mihi ipsi rursus defuisse criminetur, quum argumenta externa persequerer, quippe qui opinione quadam de compositione et congruentia carminum imbutus omnia tractassem, ipsa carmina nondum exegissem: equidem facile largiar, in internis argumentis ipsam denique probandi vim esse positam, neque ante vindicias transactas fore, quam carmina pertractata fuerint. Qui recte in hac quaestione versari vult, is ab interpre-

tandi opera proficiat et ipsa secum carmina primum expendat oportet. Verum quoniam historica haec est quaestio, et Wolfii aemulorumque testificatio illa, quamvis, parum circumspecta, publice nocere videbatur, externa argumenta et quae illi perperam interpretati essent et quae plane neglexissent, primus tractanda suscepi. Ac in prima actione eam maxime memoriam persequutus sum, quae de scribendi usu sero esse visa est. Qua examinata tantum videor assequutus esse, ut in Wolfii testificatione nemo amplius acquiescat. Et *Herm. Ulrici* in Hist. poes. graec. I p. 227 seqq. meae disputationis capita ipsa luculenter exposuit plane consentiens. Welckerus in l. l. praeterquam quod de Pisistrato in meam fere sententiam veriora docuit, ceterum satis habuit, paucis sic profiteri p. 370 c. u. 252 satis manifesto cognosci, legendi scribendique usum et disciplinam, sive ludos literarios antiquissimos in Ionia copulatissimos fuisse cum poesi Homerica; famam autem, quae apud Pseudoherodotum de Homero γραμμάτων διδασκάλῳ feratur, qui pluribus in urbibus διδασκαλεῖα habuerit, memoriae veteris fidem et pondus referre, si modo pro uno Homero Homeridas potius et rhapsodos dicendos fuisse intelligas. Vidit igitur Welkerus scribendi usum penes neminem Graecorum prius fuisse quam penes epicos poetas atque vel suorum vel alienorum carminum rhapsodos; eosdem enim de scripto et ipsos secum meditatos esse carmina, et aliis discenda praeivisse, eosdem saepe legendi scribendique facultatem tradidisse. — Alii, qui nuper in scriptis quid censerent publice professi sunt, aut dubitanter et ambigue aut ita statuerunt, ut meorum argumentorum rationem et vim parum pensitasse videantur. Velim autem animadvertant ac teneant discrimina, quibus quantum quodque argumentorum genus efficiat distinguitur. Primum genus est eorum, quibus Wolfius arguitur scribendi usum ad sera nimis tempora retraxisse. His, quantum cognovi, omnes suffragati sunt, et Boeckius quidem eo temperamento, ut privatum usum nescio quem cum ipso Wolfio antiquiorem fuisse concedat (v. Prolus. indic. lectt. aestiv. a. 1834). Nempe usum privatum recte dicas, qui fuerit penes poetas eorumque administros? Jam si priorem Pisistrato atque etiam Solone aetatem quaerimus, multum attinet discretas habere negandi rationes ab alteris argumentis, quae ad affirmandum valere possint. Et negandi rationes quum Wolfius

nullas attulisset nisi falsas, eo maxime operam intendebam, ut nihil esse demonstrarem, cur usum poetis vel antiquissimis adimeremus. Falso Wolfium rhapsodorum operam literaturae vicariam fecisse, quum hi potius primi ad eam usurpandam fuisse videri debeant. Non minus falso ex legum scriptarum memoria de omni literaturae usu judicatum esse. Convincebam errorem, quo Wolfius legum formulas antequam perscribi potuissent memoriter traditas et decantatas, apud Spartanos scilicet et Cretenses, interpretatus esset. Ex qua disputatione fasciculi primi nuper Bernhardy in Hist. liter. gr. I. p. 55 sq. tantum concessit: ad literaturae usum nihil referre, si pueri naenias quasdam hortativo ex genere, quae morum publicorum praecepta haberent, didicisse et cecinisse perhiberentur. Neque vero aut Terpandri aut Thaletae ea fuit aetas, quae crebriore usu scribendi careret *). Plus etiam in hoc genere noluerat illud de Locrensibus apud Strabonem VI. 259. πρῶτοι νόμοις ἐγγράπτοις χρήσασθαι πεπιστευμένοι εἰσὶ, parum intellectum. Hoc testimonium quum alii tum Wolfius eo loco habuerant, ut Zaleucum in termino duarum aetatum constistuerent, quarum antiquior et rudior quasi propter chartae penuriam et literaturae usum rarum scriptis legibus nullis usa fuisset. Admonebam igitur νόμους illo loco non dici nisi leges judiciales seu poenales, primumque Zaleucum non omnino publici aliquid voluminis parasse sed judicum decreta literatis legibus instruxisse. Ne verbo quidem commendo amplius, quae l. p. 62—66 tam luculentur exposita sunt, ut quicunque vel hebetior legerit, intelligere debeat, institutum Zaleuci, qui judices ad literam potius quam ad arbitrium decernere maluerit, longe aliud quid habere quam serae literaturae testimonium. Quod quum adeo manifestum sit, quid *O. Muellero* accidisse dicam, qui in Hist. liter. gr. anglice scripta p. 37 pinguiore interpretatione loci Strabonis etiam nunc utatur? an non recte obtinui, primum leges scriptas aut non scriptas

---

*) Ceteram quam institui interpretationem minus probat. Ego vero ne nunc quidem mihi tempero, quin verba Strabonis τὰς ἐκ τῶν νόμων ᾠδὰς (v. Melet. I. 47 sq.) reddam *praescripta legibus carmina, vel quae in legibus nominatim posita sunt.* Adde Aristot. Eth. Nicom. III, 8, 1. τὰ ἐκ τῶν νόμων ἐπιτίμια, Lysiam accus. Nicom. p. 852. τὰς θυσίας τὰς ἐκ τῶν κύρβεων καὶ τῶν στηλῶν.

omnino semper ad judicum vel magistratuum potestatem et diversam civitatium rationem pertinere, deinde ne exstare quidem posse memoriam de legibus apud civitatem aliquam scriptis aut non scriptis, nisi quae fuerit de judiciorum more? Reputet vir intelligentissimus etiam id quod multi nuper disseruerunt, graecorum civitates ita maxime noluisse νόμοις ἀγράφοις uti magistratus, ut iura civium aequalia vel democratiam colerent, contra visum esse Lycurgo vel quicunque illam rhetram scripsit. Veriora rerum discrimina Car. Fr. *Hermannus* in opus eruditissimum Antiquitatum Graeciae publicar. §. 23 et 88 contulit. Cfr. etiam Baumgarten-Crusius in Introduct. ad Guil. Muelleri Homer. ab eo repetita p. XXXVII.

Sublatis iis rationibus, quibus ad negandum abusus erat Wolfius, videndum erat, quatenus memoria ad affirmandum sufficeret. Video autem homines doctos tantum fere largiri, ad primas Olympiades usum scribendi satis probabiliter proferri, ultra non item. Bernhardy I. p. 187. mea argumentatione, quae priore fasciculo continetur, negat plus effectum esse, quam ut fingi possit, aetate Arctini aliorumque, qui multa edidissent, primos exstitisse, qui carminum Homericorum rhapsodias XLVIII scriptas ad plures divulgarent. Tantum qui concesserit, eum iusta consequutio etiam ultra ducere poterit. Nam si Arctinus, Stasinus, Eumelus, Cinaetho propter carminum ambitum et numerum literaturae usum testantur, non nimis procul abesse videmur ab ipso Homero.

Videtur res igitur perducta esse, ut, modo ab Iliade et Odyssea discesseris, impune nunc liceat affirmare, Graecorum carmina ad unum omnia et perscripta esse a suis poetis et de scripto tradita. Quod reliquum est, id fortasse semper ambiguum erit, prout memoriae vim plus aut minus valuisse credas. At adiget certe diligens carminum interpretatio omnes eo, ut utrumque carmen a primo statim poeta in eam longitudinem deductum esse agnoscant, quae aut literaturae auxilia aut admirabilem memoriae facultatem requirat. Hanc non defuisse O. *Muellerus* in l. l. putat; qui primum propter lectionum discrepantias, et digammatis usum in scriptis exemplis incognitum, scripta esse a poeta carmina credi posse negat; deinde poetam eum, qui catalogum navium subjecerit, ceterae Iliadis exemplum integrum non habuisse demonstrare conatur; denique ipsius sermonis Ho-

merici indolem et conformationem, quae memoriae opituletur, eo nos cogi arbitratur, ut memoriter carmina et inventa et tradita esse consentiamus.

Verum qui de forma carminum genuina recte quaerere et quam diligenti interpretatione repererint descriptionem ad poesis epicae historiam recte referre voluerint, duo animadvertant reperta, quorum alterum historiam poesis epicae, alterum doctrinam, quae de ejus ingenio informanda est, rectius componit. Alterum nuper a Georg. Langio maximeque a Welckero demonstratum est, vel potius ex quaestionibus, quae a multis de aliarum gentium poesi epica tractatae sunt, collectum et in Homeri caussam translatum. Est hoc autem ejusmodi, ut quod semper posueram, Homerum e priorum carminibus minoribus multum profecisse, nunc demum in justam quasi doctrinae formulam conformatum robur suum ac momentum nanciscatur. Habeat autem necesse est eam vim, ut illi quibus Ilias et Odyssea ab Homero inchoatae, aemulorum opera pertextae esse videbantur, ab ipsa historia et proportione longe diversum aliquid commendari plane intelligant.

Igitur quod Ge. Langius in Litteris ad Goethium de Iliadis congruentia datis p. 33. breviter significatum his diebus in praefat. dissertationis de cyclis epicis p. VIII. disertius quidem sed in futuram explicationem descripsit, idem Welckerus collatis exemplis aliarum gentium in Graecos et Homerum novae aetatis principem plane cadere demonstravit de cyclo epico p. 123. Illustrabo autem quod ab illis observatum est, meis verbis, exemplis, sententiis. Distinguuntur poesis epicae duae aetates, quarum alteram ἔπεα, alteram ἐποποιίας genuisse recte dicas. In priore singula carmina minora finguntur; quae si ex memoria rei magnae et ad foecundanda ingenia fertilis nascuntur, sensim seriem conficiunt et complexum fabularum (Sagenkreis) qui temporis fortasse perpetuitatem aliquam compositionis artificium non refert. Saepe autem singulorum actuum varietatem et copiam potius habent quam decursum aequabilem. Hanc aetatem sequitur altera, quum epopoeiae majores componuntur, cum delectu et arte in unius actionis primariae congruentiam temperatae. Graeciae gentes, ut erant ad poesin natae, priore aetate in aliis regionibus de heroibus suis alias, sed omnino tantam fabularum copiam finxerunt, ut cum eorum memoria fabulari nulla possit ullius nationis alia comparari. Locos autem uberiores, vel complexus fabularum

tres fere numero apud Graecos reperimus, quos, ut nunc loquimur, cyclum Herculis, Thebanum et Trojanum appellare licet. Ex his Herculeus, dum Herculis memoria a colonis quaquaversus circumfertur, in summam varietatem succrevit, neque una in patria ortus et altus est. At tertium, qui Trojani belli primordia, actus et exitus habuit, in Aeolide et ibi viciniae nisi etiam natum certe enutritum esse gliscente instinctu, prope compertum habemus. Reputare autem hoc loco attinet, id quod largus gentilium fabularum proventus ipse persuadet, eodem aevo occulto, quo in Aeolide belli Trojani actus varii singulis carminibus ornarentur, in aliis graece loquentium terris poetas gentiles Thamyrae similes ea finxisse epyllia, quae posteriore aetate interierint nisi quod aliquando aut epopoeis aut genealogicis carminibus materiam praebuissent. Ex hoc genere diutissime posterioris aetatis luce caruerunt Argonautica (quae resuscitavit quodammodo Eumelus). Quod si ipsa Homeri epopoeiae non solum eorum carminum, quae de bello Trojano priora fuerunt, sed etiam aliorum indicia continent, admonemur profecto quam longa aetas Iliadis tempus natale praecesserit, dum tanta fabularum ubertas pullularet. Eam autem fabularum copiam, quam Ilias et Odysseae continent, poteris ab ipsis colonis Aeolidis et Ioniae tam variis in novas sedes allatam putare. Sed progrediamur ad alteram aetatem.

Ab Homero non epicae poesis vel ἐπῶν sed ejus aetatis vel artis principia duci, quae epopoeias composuerit; id quamvis ad intelligendum facile sit tamen propter summam ad coarguendos errores utilitatem maxime efferendum est. Ac prima ratio, cur ita statuamus in indiciis sita est, quae per universam Iliadem sparsa et de prioribus et posterioribus belli temporibus leguntur.

Haec certissimo sunt documento, Iliadis poetam et prioribus usum esse carminibus et delectu quodam, ex cyclo Trojano dissidii illud irascentisque Achillis tempus sibi exornandum sumpsisse. Accedit autem quod huic testimonio manifesto alterum per consequutionem efficitur; si quidem et res ab Homero traditae, et mores heroum constanter et certissime expressi, et denique forma ac virtus orationis longiorem, qui antea fuisset, epicae poesis usum non dico declarant sed necessario requirunt. Quibus rationibus quum eo perducamur, ut Homeri aetatem ad recentiora citius

quam antiquiora tempora referamus, hanc divinationem egregie confirmat historia critica; demonstravi enim in Comment. II. huius fasciculi, testatioris memoriae pondus ac fidem habere unam eam sententiam, qua Homerum a Lycurgo proxime abfuisse statuimus. Ab his sive rationibus sive documentis si profeceris ad considerandam ipsius Iliadis complexionem, non amplius opinio illa, quasi perfectioris artis opus ne agnoscere quidem liceret, obtundet aciem. De loco, quem Homerus in epicae poesis historia teneat, nihil potest alterum informari, quod aeque et Graecae poesis progressum continuum ac nativum illustret, et aliorum populorum exemplis conveniat, quam si alterius aetatis principem agnoscas. Illibata manet poetae laus praecipua et felicitas, verum habuit et a quibus ipse proficeret, et qui eum aemularentur; neque solitudo ista est, si quidem quum Homerus Iliadem composuit et mox Odysseam (alter fortasse), omnis Graeciae gentes variae suos habuerunt cantores, suaque epyllia gentilia, et in ipsa Homeri patria antiquiora ferebantur carmina, quae partim jam majoris et ambitus et artis essent. Et haec altera laus accedit Welckeri, quod de Nostis quos Phemius, et de Perside, quam Demodocus in Odyssea audientibus exhibent, diligentius quaesivit effecitque, ut intelligeremus, carmen Demodoci primum (*Νεῖκος* ϑ, 74) primam rhapsodiam fuisse Persidis illius, quam idem posthac persequitur (de cyclo p. 288 sqq.). Neque repugno, quod Oresteam quoque, carmen tertium, ex Odyssea cognosci voluit; sed illud miror, in demonstranda ratione, qua *Νεῖκος* illud cum Perside continetur, non agnovisse indicia manifesta, quae rhapsodiam Odysseae octavam ludis Phaeacum interjectis per interpolationem auctam esse convincunt. Mitto nunc placitum Welckeri, quo eum interpolationis adeo vel incuriosum vel adversarium videmus; at illo reperto egregie auxit historiam poesis Homericae. Nacti sumus testimonium, quod Iliadis et Odysseae poetas ne ab aequalium quidem vel paullo priorum poetarum exemplis nimium distare doceat. Habuerunt non pares at similes, qui jam majora e cyclo Trojano argumenta composuissent.

Haec omnia qui reputet secum et consideret, non amplius opus esse putabit conjecturis, quales Hermannus duas proposuit, ut simul gloriam Homeri praecipuum et ejusdem solitudinem ne miraremur. Altera dubitantis,

an Homerus omnino primus exstiterit qui heroicum carmen exhiberet, quum antiquior aetas nulla habuisset nisi didactica, totidem mihi verbis improbabilis est. Heroici carminis caussae gentibus Graeciae tam communes fuerunt, ut eius ne patriam quidem nedum principem unum fingere possimus. Idem genus tam antiquum sine dubio fuit, ut theogonias et didactica omnia antiquitate antecederet; quandoquidem sine dubio, sicuti in vita dii experiundo cognoscebantur, ita poesis eos agentes prius quam nascentes, h. e. heroicis fabulis immixtos, exhibuit. Denique et Thamyris heroici generis poeta describi visus est omnibus, neque desunt fabulae, quas ex Pieria heroicas repetamus. Paullo probabilior ad informandum, sed non ad argumentandum altera est coniectura. Equidem certe nunquam mihi persuadebo, poetas aemulos, quum iam universa belli Troiani memoria carminibus celebrata esset, maluisse tamen carmen ab Homero institutum pertexere, quam antiquiora carmina de Troiae excidio, de Memnonia pugna et obitu Achillis, de aliis actibus, novae artis aemulatione superare. Et videtur Hermannus ipse in dissertatione, quam de interpolationibus scripsit, alteram potius Wolfianae sententiae formam sectari, ut Iliadem in minora carmina dissolvat. — Peculiari ratione Wolfii sententiam conformavit G. Bernhardy in Hist. liter. gr. I. p. 220. sed, quod intelligam, non auspice Musa. Nam egregie quidem et primus fere admonuit gentilium fabularum carminumque quae ex iis quaedam gentibus propriae compositae feruntur. Sed idem aetatium illud discrimen mira disputatione obliterat, ex qua nihil reperio quod stare possit. Relabitur ad rhapsodias (pravi nominis) singulas, quas, in omni Graecia apud varias gentes quum inventae essent, Iones quasi in encyclopaediam redegerint. Effectum id esse vi Homeri, vicinaeque studiis familiae poetarum, denique cyclicorum opera. Eam autem fabulas colligendi et quoddam quasi in systema conferendi operam Ionibus unam praecipuam fuisse. Talis disputationis ipsum sat cito poenitebit.

Sequitur, ut de ingenio poesis epicae et quasi sensu vel secta doctrinam veriorem iis ad intuendum proponamus, qui Iliadis compositionem sententiamque perspicere, et quid genuinum quid asciticium sit investigare suscipiunt. Audivimus, qui etiam nunc Fr. Schlegelii illas *ἀριστείας* et *νόστες* loquerentur, ex quibus Iliadem et Odysseam conflatas fingerent. Scilicet

Graeci ipsi quasdam partes Iliadis, in quibus Diomedis vel Agamemnonis virtus eminet, ἀριστείας appellarunt. Sed ne hi quidem vocabulo plane accurate usi sunt, nedum nos Iliadis naturam recte discribere videamur, si ex ἀριστείαις compositam dicamus. Ἀριστεία dicitur, quum quis in bello rem cum singulari et fortitudine et felicitate et gessit et patravit, victoriaque potitus est: Lucian. de Gymnas. 21. T. VII. 178. Bip. οἱ δὲ καὶ ἀκέοντας ἀριστείας τινὰς καὶ πράξεις ἀοιδίμȣς ὀρέγονται. Plut. Compar. Alcib. cum Coriol. 3. ἐπὶ πολλαῖς ἀριστείαις καὶ ἀνδραγαθίαις. Id. de malign. Herod. 15. ἀντὶ τῆς Πιττακȣ ἀριστείας τὴν Ἀλκαίȣ διηγήσατο φυγήν. Polyb. XXXVI, 6, 6. ἀκȣ́σαντες τὰς ἀριστείας Σκιπίωνος. Nicol. Damasc. p. 50. ἦσεν ὁ Μάγνης Λυδῶν ἀριστείαν ἐν ἱππομαχίᾳ πρὸς Ἀμαζόνας. Haec quum sit potestas substantivi, etiam illi licentius fecerunt quod distinguendi loci caussa ἀριστείαν vocitarunt insigniorem operam heroum, qui rebus Graecorum communibus cum virtute dum intersunt, neque diu eminent soli, neque feliciter omnia gerunt, nec denique rem unam fortiter perpetrant, sed tantummodo aliquamdiu in communi proelio grassantur, vel πρόμαχοι spectantur. Tenuerunt autem eam potestatem, quae interdum verbi ἀριστεύειν est, ut. Verum nos certe ab omni veritate aberramus quum Iliadem ἀριστείας continere dicimus. Ἀριστεία non est nisi quum una aliqua pugna vel res feliciter transigitur. Quodsi fingi posse videtur, rhapsodum partes insigniores unius alicuius herois in communem belli et actionis maioris condicionem inseruisse, quae nota esset audientibus, nonne maiore iure nos contra communis condicionis notas in complexionem carminis obtinendam vertemus? Sed ἀριστείας vocabulum longe maior etiam incommoditas premit; ab eius enim notione quum universa poesis epicae indoles, tum Iliadis sententia abhorret. Poesis huius est non singulorum facinora efferre, sed actiones complecti; neque a laudandi studio profecit, vel successus ornare voluit, sed casus toleratos, sed tempora graviora et discrimina rerum, sed eventus ex deorum favoribus et odiis, hominum aestibus et casibus, virtutibus et imbecillitatibus in humanae tragoediae exemplum temperatos persequutam esse dicas, si sensum eius bene perspexeris. Hanc severitatem tragicam vel potius humanitatem poesis heroicae animadvertant velim, qui de Iliade existiment. Ne Iliadis quidem conditor Achillis virtutem ornare voluit, sed magnum illud belli tempus persequi, quod per irae Achillis consectaria

transactum est. Quare nec *Hermannus* illa disputare debebat, quae disputat in dissertat. de interpolat. Homeri Op. IV. 56. „si quis, inquit, de industria quaerere materiam velit, quae poetae epico tractatu sit difficillima, vix credo eum inventurum esse accommodatius illi consilio argumentum, quam quod in ipso Iliadis exordio consignavit poeta, quum se iram Achillis Graecis perniciosam cantaturum est professus. Ita enim hoc comparatum est, ut viri primas partes habentis virtus nihil agendo debeat illustrari.“

Scilicet poeta primas partes de ipsa prooemii dictione deque carminis epici mente tribuit non Achilli sed irae Achillis, quae quoniam dissidio etiam deos dividit, primo deabus maximeque Minerva pro Graecis nitente his minus perniciosa est, et Diomedi Ajacique locum facit exserendae virtutis; sed postquam Iuppiter fidentius interdictum exprompsit, consilium et necessitas incidit Achillem missis legatis placandi. Qui quum implacatus non ante se bellum resumpturum esse professus est, quam Hector Myrmidonum castra infestare navesque incendere ausus fuerit (Il. ι, 650 sqq), quamvis contendente Agamemnone aliisque Hector tamen cum suis magis magisque ingravescit, neque Iunonis machinae Iovis consilium frustrantur. Si modestius et humanius dolorem tulisset Achilles, satisfactum sibi jam putasset. Res jam eo perducta est, ut nisi ultra quam fas est suo honori cuperet, remittendum ei fuerit de ira ac condicione legatis posita. Nunquam quisquam e Graecis Achillem jure tantum stomachari concessit. Remittendum esse censit Ajax ab Achille secundus fortitudine, Nestor sapientissimus graviter notat ejus obstinationem. Quid, quod etiam Patroclus (π, 30 sqq,) eam iram tam atrocem detestatur, nisi forte divino monitu staret? Negat ejusmodi condicione se teneri Achilles, et unum iniuriae dolorem sibi obstare fatetur, ne Graecis succurrat, vel si huic temperandum videatur, condicionem coram legatis elatam. Nihil igitur a se impetrat, nisi ut amicum suis armis ornatum subvenire navibus periclitantibus concedat. Haec pervicacia est, non magnitudo animi, aut si necessitas, per culpam inventa. Accedit, quod omnem gloriae a Patroclo parandae facultatem sui honoris lege astringit (π, 89 sq.). Versus 97—100, si quis alter adjecit, effrenatam gloriae cupidinem cumulatius efferre voluit. Non opus est ultra carminis

decursum persequamur. Egregie autem O. Muellerus Hist. liter. gr. p. 49 sq. et Schneidewinius in Mus. philol. Welckeri et Naekii V. 3. p. 405. illud posuerunt, nullam partem Iliadis ad actionis explicationem tam necessariam esse, quam quae a libri undecimi fine usque ad Patrocli mortem pertineat; si aliqua pars interpolationis suspiciones admittat, eas in priores libros rectius cadere. Contra visum erat quum aliis a Wolfio usque plurimis tum *Hermano*, qui in libello interpolationum illam ipsam partem, quam maxime necessariam diximus, interpolationibus plurimis conturbatam esse pronunciavit, et libro undecimo carmen peculiare, Agamemnonis ἀριστείαν, contineri voluit quod exeat v. 596. sed non longe ab eo fine interpellatum sit. Ego in universum de ἀριστείαις modo disputavi, et semper fatebor, me totum illud genus quale sit plane ignorare, neque assequi, quomodo peculiare carmen esse potuerit, quod neque eventum certiorem, neque sententiam ipsam per se ullam habeat, sed proeliatorem aliquem, susque deque stragem qui faciat, donec ipse, et Agamemno quidem sat cito, accepto vulnere pugna excedens aliis bellatoribus Martis communis discrimina sustinere permittat. Ἀριστείας dubitare possumus an priores Homero poetae finxissent, peculiare carmen Iliadi insertum nusquam reperias rhapsodia decima exceptâ, quam asciticiam esse quum testimonium quoddam tum carminis decursus persuadent.* Singula, quae de *alieno additamento* Hermannus, egregie composuit *Schneidewinius*, cuius disputationi unum illud adiiciam: nihil sane dubitandum fuisse (p. 409.), cur Patroclus ad Achillem redux (π, init.) neque de Machaone neque de Nestore, de quibus iussus erat, quidquam referat. Videlicet Homerus noverat humanam naturam, quae nos, quum nuncium missum dolore perfusum et lacrymis obortis conturbatum redire videamus, vetat priorem condicionem tenere et exigere. Achilles aliqua quidem sed nequaquam tanta misericordia tactus fuerat, quum Patroclum mitteret, ut tantos ploratus vere interpretaretur, et priora teneret; Patroclus autem non oratione sed dolore suo omnia quae rescivit complectitur, potissimos ex heroibus vulneratos esse diserte commemorat.

Ante illam disputationem, quae de rhaps. XI. est, Hermannus de universa Iliadis complexione statuit; nihil quidquam eorum, quae ab initio rhapsodiae secundae sequantur, prout exspectes procedere existimans (p. 58).

Quod qui dicunt, Homerum legentes dormitasse videntur. Quidquid volunt, illud extra omnem dubitationem est, priores Iliadis libros ab antiquiore et veriore poeta conditos esse, quam ceteros, in quibus tantum hic illic aliquid ingenii illius divini emicat.

Eo, qui illos reliquos fecerunt, ii erant Homeri.

* Decima rhapsodia ab antiquis jam peculiare carmen, quod Iliadi insertum sit, habebatur. Prorsus aliena est ab Iliadis argumento, nam nona et undecima se excipiunt commode. Adde quod Diomedes, qui VIII. 93. Ulyssem turpiter exprobrat, nunc ignavum istum sibi comitem eligit. Ceterum cf. Schol. Vict. ad Iliad. K. 1. et Eustath. p. 785, 41.

„Quis non exspectaret, inquit, Hectorem potius ab Jove, dum bello Achilles obstineret, spe victoriae incendi; inde autem Graecos magnis cladibus affectos indutias petere, oratores mittere ad Achillem, non exorato munimenta exstruere, oppugnari in munimentis, proruto muro ad naves repelli, navibus ignem immitti?“ Fateor, eiusmodi carmen magnam simplicitatem habiturum fuisse — scilicet ξέσσε δ' ἐπισταμένως, καὶ ἐπὶ στάθμην ἴθυνεν — atque tantam perspicuitatem, ut auditores rhapsodum sat cito deseruissent, ipsi satis quid consequuturum esset videntes. Sin serio quid opponam requiris, quoniam longum est ad omnia respondere, et meae consultandi magis quam perficiendi partes sunt, tantum mecum reputes velim. Non unus Achillis honos agebatur, sed totius belli fortuna moderanda erat Iovi. Is rerum omnium moderator ambiguus inter Troiae amorem et Graecos, qui iniuriam sibi a Troianis illatam illo bello persequebantur, quum coniugem Graecis favere sciret, aegerrime a Thetide perpulsus fuit, ut contumeliam Achillis se ulturum promitteret. Perficiendae rei duae erant leges, sive Iovi sive poetae scriptas volumus; altera ad res humanas, ad deorum societatem altera pertinebat. Res humanae utique ab eo statu procedere debebant, in quo adhuc constitutae fuerant; deorum autem ea ratio habenda erat, ut ne Iuppiter prae uno Achille ejusve matre continuo coniugem ceterosque deos Graecis bene cupientes prorsus contemnere videretur. Si belli statum quaeris, omnino ante secessionem Achillis ad ipsam Troiam in acie nondum pugnatum erat, sed moenibus se tenuerant Troiani. A quo statu tempus irae processisse notum erat Homeri auditoribus ex priorum carminibus, admonebat etiam rhapsodia prima praedae ex vicinis oppidis reportatae commemoratione (125) atque eo, quod ne peste quidem Graecos affligente Troiani quidquam ausi essent, denique nos docemur ε, 788—791. Itaque Graeci palantes tantum passim singulos ceperant. Conciret igitur ad bellum utrumque exercitum Iuppiter necesse erat, ut promissum exsequeretur. Hic concedamus liberum fuisse poetae, utrum Agamemnoni an Hectori victoriae spem faceret, quanquam promptius erat oppugnatores excitare quam Troianos moenibus tutos. Sed cur Agamemnonem potius sollicitaret, multae erant rationes. Fingas modo, quid quum ex illo, quo diximus, statu res ducenda esset, evenire facillime potuerit, et non miraberis ea, quae evenisse nar-

Nam auditores, qui ista Homeri carmina audiverant, ignorasse putas, quid consequuturum esset. Et tamen iterum iterumque eadem cum voluptate audire solebant.

rantur. Diu sederant Graeci aut palati per viciniam ex oppidis aliis praedas egerant, maius bellum, quo ipsa Troia peteretur, nunc denique instabat, quum dissidium incidit, quod Achillem in otium redegit. Iuppiter quod nutu sanxerat, ut bello excitato Achillis desiderium injiceret Graecis, Agamemnonem in expugnandae urbis spem erigit. Tentantur Graecorum animi, num post obsidionem et discursus priores ad ipsam urbem aggrediendam satis fortitudinis tenuerint; admoniti patriae primo reditum parant, mox ad pugnam incenduntur. Troiani non possunt, quin obviam eant. Sed, uti par est, is qui iniuriam fecit Paris cum eo, ad quem maxime iniuria pertinuit, ad pugnam singularem congreditur. Haec omnia probabiliter et prout exspectes evenire concedes, si modo prius illud agnoveris, quod de statu priore non sumpsi magis quam narravi, et tenueris Iovem non fingere res humanas et efficere, sed regere et flectere. Ita porro intelliges, quid sit, quod quum res prope eo pervenerit, ut totum bellum componatur, Iuppiter ipse, postquam κερτομίοις ἐπέεσσι (δ, 6) deas appellavit et ipse paullisper dubitavit bellum per Minervam et Pandarum resuscitet.

Exardescit bellum tale, quale probabilitas omnis postulabat, si quidem veterem heroum famam tenere voluit Homerus; unum dubitare licet, an rhapsodia quinta et sexta interpolationibus auctae sint, et Iovis decretum, quod rhaps. VIII. principio sequitur, in genuino carmine paullo prius inciderit. Ab eo inde, si decimam rhapsodiam exceperis, omnia tam aperte in expediendum carminis argumentum intenta sunt, ut vix usquam haereas. Unum autem efferendum est, praesertim quum ipse de mutata Iliadis sententia olim minus recte statuerim Melet. I. p. 112, quasi carmen primo de sola Iovis βουλῇ fuerit. Tale enim carmen esse non potuit, nisi si Achilles plane alius animo ac moribus ad resumendum bellum ipse exciretur postquam Graecos cladibus attritos et ignem navibus admotum vidisset. Hic, quem Homerus novit, inexorabilis, sui honoris ingenti studio avidus in tale carmen non cedebat, neque aliis nisi suis caussis eo perpelli poterat, ut iram deponeret et exitum daret carmini. Si opinionem exueris, qua laudatio heroicae virtutis carminibus epicis proponebatur, et intellexeris tragicam huius generis indolem, Iovis consilium non alium eventum habere concedes, quam qui moribus Achillis conveniret. Iuppiter dedit hoc Thetidis precibus,

ut cladibus affligeret Graecos, sed non Achillis mores finxit, qui quomodo rebus Iovis de consilio cadentibus uteretur, penes ipsum erat. Repraesentavit igitur Homerus talem, ut tragicum virtutis humanae exemplum esset. Virum exhibuit ea animi magnitudine, ut vitam gloriosam quamvis brevem longissimae, quam inglorius duceret, praetulerit, sed nimium nimiosque spiritus ultra quam hominem fas est tenentem ita, ut eventus a summo Iove ad eum ornandum comparatus ipsum feriat Patroclo adempto. Tantum de Iliadis argumento.

Persuasissimum habeo, neminem, nisi qui maioris operis descriptionem in universum informatam accurate exigere voluerit, in interpolationibus reperiendis quidquam proficere posse. Et O. *Muellerus* quidem in Hist. liter. gr. p. 55 sqq. illud recte fecit, quod praeter rhapsodiam decimam prioribus, quintae, sextae et secundae, locos maiores insertos videri demonstravit, sed quum de navium catalogo accurate, de eiusdem rhapsodiae prima parte minus vere iudicavit. Rhapsodiam quintam accuratius excussit *Geistius* in Disquisitt. Homericis, quae repetitae exstant in Nov. Annal. philol. et paedag. a Iahnio editorum Supplem. I. Vol. Paravit subsidium profuturum iis qui rem componere volent, sed ipse neque ad formam carminis universi disputationem retulit, neque ἅπαξ εἰρημένων multitudinem in genera dispescuit, ut ea quae interpolationis convicium haberent distinguerentur ab illis, quae propter rerum infrequentiam necessario non reperiuntur nisi semel atque iterum.

Odysseam ex singulis carminibus conflatam esse nuper denuo demonstrare conatus est *Kayserus* in Disput. de diversa Homericorum carminum origine, ed. Heidelb. a. 1835. sed alia leviter negligenterque jecit, alia componere non est huius loci, pleraque ad eas quaestiones pertinent, quibus Kayserus parum vacasse videtur.

Tantum de caussa universa. His, quae nunc iunctae eduntur commentationibus nihil habeo quod adjiciam praeter unum, quod propemodum verbo dici potest. In commentationis I. sect. VII. p. 37. quum dubitatio esset, quonam loco Nostorum carmen νεκυίαν insertam habuisse videretur, ego Agamemnonem ad inferos deductum sumpsi. Alium locum eidem Welckerus de cyclo p. 218. alium rursus O. Muellerus in censura libri Welcker. in Zimmerm.

Diar. disc. antiquit. a. 1835. p. 1165 assignavit. Quorum coniecturis cur meam praeferam, hanc rationem afferre satis habeo, quod tali ornamento poeta non eas partes distincturus fuisse videtur, quae secundariae essent, sed primariam. Neoptolemi vero et Calchantis itinera ad secundarias referimus uno consensu omnes, primas tribuimus Agamemnonis fato.

Reliquum est, ut veniam mihi aliquam expetam. Quas index huius libelli promittit quattuor commentationes, ex iis quartam aliquantulum in scriniis relinquam propter caussam a lectorum utilitate non alienam.

Dab. Kiliae Holsatorum, d. XIII. m. Sept. a. MDCCCXXXVII.

Commentatio prima. *)

De Aristotele contra Wolfianos, sive de carminibus cycli Trojani recte inter se comparandis disputatio.

I.

Enarrantur loci *Aristotelis*, *de poet. c.* **23** *et* **8**, *qui sunt de justa epopoeiae compositione.*

Consilium est, locos Aristotelis, qui de Odysseae et Iliadis descriptione 1
et arte sunt disertiores, uberiore disputatione ita enarrare, ut et quid quamque recte ille, et de quo judicaverit, plane pernoscatur. Ergo simul de Iliade parva, Aethiopide, reliquisque quae Homericis Aristoteles postposuit carminibus accurate quaeretur. Sed ipsorum etiam Homericorum formam ut demonstremus eandem tum fuisse, quam nunc videamus, disceptationes quaedam requirunt doctorum hominum, qui Aristotelem ita loquentem audire sibi visi sunt, quasi se quasdam partes Odysseae in suo exemplo ne legisse quidem significaret. Censuerat ita jam *Rochefortius*, qui Iliadem et Odysseam versibus francicis redditas cum annotatis et dissertationibus edidit anno MDCCLXXXI. Is enim suspicionem suam, qua episodium Odysseae, quod in Niptris legitur de cicatrice ad Parnassum accepta, XIX, 399—460, subditicium esse vidit, Aristotelis testimonio

*) Edita est ineunte a. MDCCCXXXI.

firmari opinatus est. Pravam popularis sui interpretationem arguit *Dugas-*
Montbelius in Millini Annalibus encyclopaedicis anni MDCCCXVII. Fasc.
V. s. mensis Maji, quanquam ipse neque suspicionis istius vim satis ex-
pendit, neque Aristotelis locum ad enucleatae sententiae perspicuitatem per-
2 duxit. Controversiae ab his agitatae incuriosi ***P. Knightius*** et ***Bern.***
Thierschius eundem, quem antea Rochefortius, errarunt errorem. Quorum
ille in annotatis ad Odysseae I. eo pertinaciae processit, ut duos alios Ari-
stotelis locos, qui judicio adversarentur, interpolatione insertos esse finge-
ret. Bernardus vero Thierschius in libello leviusculo, quem olim de forma
genuina Odysseae conscripsit, non solum p. 19. illius loci particulam male
decerptam in ejusdem opinionis fidem adhibuit, sed etiam p. 24. alterum,
qui Odysseae descriptionem habet, manifesto judicavit esse indicio, extre-
mam partem Odysseae ab Aristotelis libro abfuisse. Quod interpretationis
vitio repertum erat, assensum facilem habuit ab iis, qui carmina Homeri
Pisistrati jussu demum consignata non ante certiore formâ constitisse puta-
bant, quam Aristarchi, a librorum copia instructiores, Iliadem et Odysseam
omnibus interpolatorum commentis auctas edidissent. Nihil horum satis
considerate creditum est. Nam ut Pisistratum taceam, de quo alibi satis
superque disputatum est, literatiore, quae ab ipso illo ducitur, aetate car-
minum illorum forma nihil admodum mutari amplius potuit; neque quod
scriptores, qui Alexandrinam aetatem praecedunt, versus nonnullos vel om-
nino desideratos vel immutatos laudant, ea res gravioris discrepantiae aut
licentiae indicium habet, quam etiam post grammaticorum negotia circa
eadem carmina versata est, et aliquatenus omnis generis et aetatis scripto-
res afflixit. Ab Alexandrinis in poetae tum antiquissimi tum celebratissimi
exemplis aliquanto plus diversitatis deprehensum esse, quum singulo-
rum versuum aut vocabulorum formam exigerent, quam in aliis, quis
miretur? Quanquam de Zenodoti audacia diversitatis, quae in exemplis
3 fuerit, conjecturam ne citius caperemus, jam Wolfius ipse cavit. Urbium
quidem illa exempla, quantum ex scholiorum indiciis intelligitur, in eandem
plerumque lectionem conspirabant. Omnino de hoc genere accuratius quae-
rendum erit, ut, quid quisque grammaticorum sequutus sit, et num quid-
quam ab antiquorum librorum fide ad damnandos locos profecerint, certo

cognoscamus. Nunc tantum breviter profiteri licet, ne minimam quidem vocem erumpere ex antiquiore aetate, quae locum ullum in suspicionem vocatum prodat, aut criticae, quae obelo censetur, principem aliquem Zenodoto priorem efferat. Quamvis enim mature exorti sint, qui Homeri deos, mores, inventa denique vel dicta variâ reprehensione aut dubitatione afficerent, tamen ii, qui inde a crebrescentis lectionis, hoc est ab ipsius Pisistrati et Amasidis aetate, a solvendis ejusmodi quaestionibus λυτικῶν nomen invenerunt, allegoriae potius machinam omniaque interpretandi effugia quaesierunt, quam ut sacri poetae opinionem tollendis, qui incusati erant, locis sustinere studuerint. Quod quum ipsum documento sit, de rhapsodorum interpolatione tum quidem nullam fuisse suspicionem, non magis in scriptorum mentionibus desideratos in eorum exemplis locos subodorari licet. Imo qui loci tum a grammaticorum notatione tum a nostris dubitationibus sunt suspectissimi, eos ipsos a Platone, Aristotele, aliis, citatos legimus ut Homericos. Sed agamus, quod propositum est.

De argumenti delectu justâque fabulae in unam actionem comprehensione duobus maxime poetices locis Aristoteles praecepit, utroque ita ut primas Homero deferret. Eorum altero c. 8. Odysseae, altero 23. Iliadis
descriptionem accuratius definivit. Poetae epico non historiarum simili 4
complexione utendum esse, in quibus quaecunque uno eodemque tempore in uno aut pluribus evenerint, etsi nullâ inter se necessitudine copulentur, junctim tamen exponi oporteat. Neque magis, si alterum alteri temporis quidem serie nexum sit, sed in unum contigua finem non conspirent. Epicorum enim illud potius esse, ut unam actionem conficiant, quae a principio per medium ad exitum procedens integra sit suosque habeat numeros. Ita denique quasi animal quoddam effici unum et integrum, quod insitam epico generi voluptatem vere excitet. Iam poetas quidem fere plerosque secus fecisse; quippe qui circa hominem unum, et tempus unum, et actionem multarum partium versati sint. Velut Cypriorum et Iliadis minoris auctores; quorum rationem eo maxime existimari posse, quod utrumque poema multis tragoediis argumenta suppeditaverit. Quare, inquit, in hac quoque re divinus videatur Homerus ad ceteros, quod non bellum, quamvis principium et finem habens, totum tractare aggressus est, sed unâ parte

delectâ, episodia e ceteris multa adhibuit, velut navium catalogum et alia, quibus poesin distinguit. Haec ille cap. 23. in quibus maxime comparatio, quâ Iliadem parvam et Cypria Homerico carmini postponit, nos convertere debet. Sed proximum est, ut alterum locum, qui de Odysseae compositione est, diligenter exponamus. Octavo igitur capite ita ille: docet primum fabulam unam non esse, quae circa unum hominem versetur, uni enim infinita passim evenire posse, quorum e quibusdam nihil fiat unum. Itaque etiam unius hominis ejusdem multas esse actiones, quae in unam actionem non coeant. Quare reprehendendos esse poetas, quicunque Heracleida sive The-
5 seida sive alia id genus poemata composuerint, opinantes, quum Hercules fuerit unus, fabulam quoque de eo unam esse debere. His positis ita pergit: *ὁ δὲ Ὅμηρος, ὥς περ καὶ τὰ ἄλλα διαφέρει, καὶ τοῦτ᾽ ἔοικε καλῶς ἰδεῖν, ἤτοι διὰ τέχνην ἢ διὰ φύσιν. Ὀδύσσειαν γὰρ ποιῶν, οὐκ ἐποίησεν ἅπαντα ὅσα αὐτῷ συνέβη, οἷον πληγῆναι μὲν ἐν τῷ Παρνασσῷ, μανῆναι δὲ προςποιήσασθαι ἐν τῷ ἀγερμῷ, ὧν οὐδὲν θατέρου γενομένου ἀναγκαῖον ἦν ἢ εἰκὸς θάτερον γενέσθαι· ἀλλὰ περὶ μίαν πρᾶξιν, οἵαν λέγομεν, τὴν Ὀδύσσειαν συνέστησεν.* *) Integrum transscripsi locum; quem quod Knightius Thierschiusque eâ parte, quae post *ἀγερμῷ* sequitur, detruncatum exhibent, ipsum arguit, eos enunciati complexionem parum animadvertisse. Qui si illa *ὧν οὐδὲν θατέρου — γενέσθαι* ad loquendi usum exegissent: et haec ipsa cum proxime praecedentibus vidissent esse jungenda, et totam de Aristotelis testimonio opinionem confestim abjecissent. Multis autem rationibus redarguitur interpretatio, quâ Aristotelem dicere volunt, illud de Ulysse vulnerato in Odysseam non esse admissum. Primum verbis *οὐκ ἐποίησεν ἅπαντα* ex adverso positum est *ἀλλὰ περὶ μίαν πρᾶξιν τὴν Ὀδύσσειαν συνέστησεν*, ceteris explicandi caussa interpositis, quae simul in caussa sunt, cur *τὴν Ὀδύσσειαν* in fine dixerit, non *τὸν μῦθον* vel simile quid. Deinde *γενέσθαι* est *evenisse:* discernit enim usus quum com-

*) Exhibui locum secundum Hermannum et Immanuelis Bekkeri libros (V. Quaest. Hom. I. p. 19 sq. not. 4.), quum Graefenhanius p. 83. male sic scribat: *ἀλλ᾽ ἃ περὶ μίαν πρᾶξιν, οἷα ἂν λέγοιμεν τὴν Ὀδύσσειαν, συνέστησεν.* Istud *οἵαν λέγομεν* est *qualem volumus,* ut c. 11. *ὥς περ λέγομεν.*

munis tum Aristotelis *τὰ γενόμενα,* facta, quae historiae sunt, et *τὰ πραττόμενα*
s. *πεπραγμένα* (c. 17, 1. 11, 1 et 3.) quae aguntur, quae per imitationem exhibentur
aut exhibita sunt, atque ipsâ fabulae actione continentur, et denique *πεποιημένα,* 6
quae poetae fingentis operam sunt experta, ficta (c. 17, 5.). Neque tamen
γενόμενα semper sunt vere facta (c. 9, 1 — 3. alibi), sed etiam narratio epica,
ἀπαγγελία, quum agentes et loquentes inducti non sunt, *γιγνόμενα* persequitur
(c. 4, 9.), et in fabulis scenicis, si quid non coram agitur (*πράττεται*) sed
tanquam foris eveniens commemoratur vel cogitatur, id quoque *γίγνεσθαι*
dicitur (c. 14, 2.). Apertum igitur est, vel ex hoc, quem demonstravimus,
usu, verba *θατέρȣ γενομένȣ θάτερον γενέσθαι* nullo pacto de ipsius poetae operâ
accipi posse, qui si Odysseam componat, non necesse aut consentaneum sit,
ut in eam omnia recipiat. A qua interpretatione etiam verborum *ἀναγκαῖον
ἢ εἰκός* vera sententia revocat (v. c. 9. et 15, 10.). Denique particularum
μὲν et *δέ* non copulandi simpliciter sed distinguendi vis est, quam h. l.
planissime referas latinis nunc — nunc, tum — tum. Itaque ex prava in-
terpretatione hanc potius recepimus sententiam: „*Odysseam enim quum
faceret, non intulit omnia, quaequae isti evenerunt, ut nunc vulneratum
esse in Parnasso, nunc insaniam simulasse in delectu, quorum si unum
evenisset, neutiquam necesse aut consentaneum erat alterum quoque
evenisse: sed circa unam actionem, qualem volumus, Odysseam com-
posuit.*" Loci ita translati ut plane perspiciatur ratio, animadvertendum
est, Aristotelem omni illâ praeceptione hoc cavere, ne quis unius alicujus
res, quamvis condicione dissimillimas, quoniam in eodem evenerint, in unum
opus bene cedere putet. Hac enim mente nunc duo illa ponuntur, quae in
eodem quidem Ulysse evenerunt, sed temporibus diversissimis, quorumque
neutrum neutri non modo necessitatis ratione ullâ, sed ne levissimo quidem 7
caussarum nexu copulatum sit, ut ad unam actionem profecto non perti-
neant. Illa vero, *ὧν ȣ̓δὲν* et quae seq. ita subjunguntur, ut verbo quidem
posita exempla spectent, judicio vero simul omnia, quae eidem diversa eve-
nerint, attingant; nam ratio omnis est unius rei ad alteram, *θατέρȣ πρὸς θά-
τερον,* non aliter atque etiam in alterâ de Iliade disputatione c. 23. *θάτερον
μετὰ θάτερον* evenire dixit. Propter hunc judicii ambitum etiam invertere
paullum verborum ordinem licet in hunc modum: Multa passim Ulyssi

evenerant, quorum neutiquam necesse erat unum si evenisset alterum quoque evenisse, ut in Parnasso vulneratum esse, in delectu vero insaniam simulasse: quare ne Homerus quidem omnia ejus eventa in Odysseam recepit, sed ea solum complexus est, quae in unam actionem recte implicarentur." Hoc orationis progressu si usus esset Aristoteles, continuo decerneremus, exempla ista ita esse adjecta, ut num vere Homerus eorum alterutrum, an neutrum receperit, ne diceretur quidem. Atque etiam hoc, quo nunc subsequi videmus, ordine verbis ὧν ȣ̓δὲν seq. non tam quid Odyssea habeat, quid non, significatur, quam eventorum illorum inter sese quae sit ratio expenditur, ita tamen ut simul, quid omnino admitti potuerit, doceatur. Jam vero, quo delectus prudentia manifestius sentiretur, consultius profecto erat, non duo exempla subjungere, quorum utrumque pariter ab Homero omissum esset, sed ea, quorum alterum vere in Odyssea exstaret, alterum, quia neque ex illo neque ex alio admisso aptum esset, non compareret. Non minore igitur admonendi calliditate quam dicendi brevitate Aristoteles ex iis, quae Ulyssi evenerant actione Odysseae priora, duo de-
8 legit, quorum alterum illam effectu attingebat, alterum minus. *) Neque dubium est, quin ea, quae sunt circa Ulyssis cicatricem, ad Odysseae actionem pertinere censuerit. Quum enim agnitionibus, ut infra videbimus, plurimum tribueret, in earum vero numero Eurycleae agnitionem ceteris anteferret: episodium quoque illud quo accepta narratur cicatrix ab illis quidem rationibus integrum et intactum habuit. Praeterea versuum XIX, 395—97. **) apud Platonem de rep. 1. 334 A. manifestum testimonium exstat (obscurius quoddam de leg. XII. init.), quod pridem adhibitum ab interpretibus Rochefortium permovit, ut male illatos versus a trecentesimo

---

*) Hermannus init. disputationis de interpolationibus Opusc. V. 53. propter μέν et δέ in mera oppositione versantes verbis ἐν τῷ ἀγερμῷ negationem οὔ adjiciendam censet.

**) Illud κλεπτοσύνῃ θ᾽ ὅρκῳ τε recte explicat Libanius Apol. Socr. p. 33. T. III. Reisk. Loquutionis rationem illustrat exemplum simile ap. Ctesiam Excerpt. e Persicis c. 60. p. 79. Baehr.

nonagesimo nono demum numeraret. Nos nunc neque illos versus neque subsequens episodium a Platonis et Aristotelis exemplis abfuisse credimus; esse vero locum interpolatione depravatum, quum variis sermonis indiciis tum eo argui arbitramur, quod episodium condicionem interpellet, quâ neque Eurycleae neque Ulyssi narrandum tribui potuerit. Verum haec alias. Nunc, postquam quid Aristoteles de utriusque carminis inventione judicaverit satis intellectum est, duo maxime consideranda putamus, quorum alterum in rerum ac fabularum, quarum Homero optio suppetierit, varietate ac copia versatur, alterum laudem spectat, qua Homerus super ceteros eminere dicitur.

II.

Homeri quae fuerit argumenti deligendi condicio probabiliter disputatur.

Utrumque Graecorum intelligentissimo cuique persuasum erat, poetas 9
epicos maximeque Homerum antiquarum rerum et sequi ac prodere famam, et concessâ sibi libertate ornasse ac finxisse. Celeberrima sunt in eam sententiam Pindari Nem. VII, 29., Thucydidis I, 9. et 10. et Platonis de leg. III. 682 A. iudicia, quibus accedit, quod Aegyptiorum monitis temperatum est, Herodoti illud II, 120. Horum suspiciones quum Aristoteles ad artis rationem ac disciplinam revocaverit: videtur ille quidem ad nostra magis placita fabularem memoriam ex parvis principiis ingenio poetarum sensim paullatimque auctam ac multis modis refictam credidisse. Velut — illustrabo enim, quid velim, exemplo — Thucydides quidem famam illam, qua Graeciae principes propter sacramentum Tyndaro praestitum ad repetendam Helenam coiisse ferebantur, non alio modo impugnat, quam quo e pluribus quae tradita sunt amplectimur probabiliora. Nos vero, qui fabularum cum auctoribus aetates dispicere solemus, sacramentum istud a Stesichoro fortasse aut inventum esse existimamus, aut ex recentiore certe commento in carminis luce positum (Schol. Ven. ad Il. β, 339. Klein. p. 78.). Similiter

ergo aliquis in animum induxerit iudicaturum fuisse Aristotelem: neque id tamen recte. Is enim quum egregium illud laudatumque reperisset (c. 9.): *φιλοσοφώτερον καὶ σπουδαιότερον ποίησις ἱστορίας ἐστίν· ἡ μὲν γὰρ ποίησις μᾶλλον τὰ καθόλου, ἡ δ' ἱστορία τὰ καθ' ἕκαστον λέγει*: sane non solum fabulae ex rebus sive traditis sive fictis texendae liberrimam poetae fecit optionem, sed etiam ab Homero plura aut libere aut parum etiam probabiliter ficta esse
10 dixit. Dubitantibus enim de Achaeorum muro respondit: *ὁ πλάσας ποιητὴς ἠφάνισεν* (ap. Strab. XIII. 598 s. 108.), Hectoris vero persequutionem (Il. χ. 205.) et expositionem Ulyssis (Od. ν, 119.) in exemplum posuit eorum, quae ad informandi veritatem absurda per epicam narrationem occultarentur, et, dum actionis secundarent progressum, boni poetae arte satis viderentur venditari (poet. 25, 4 et 10. 26, 8.). Huic igitur generi multa alia annumeraverit necesse est is, qui omnino fabulam non ex traditis neque ad traditorum seriem, sed ex condicionis, mente bene descriptae, lege in unius actionis congruentiam pertexere poetas jubet. Verumtamen idem ab Homero etiam episodia ex traditis multa ascita dicit, et omnino longissime abfuit ab eorum opinione, si qui historias Trojanas ab Aeolensibus, qui ex Aulide et ipsi trajecissent et se quasi paterna possidere finxissent, non celebratas tantum sed inventas ac deinceps poetarum studiis tum nutritas tum variatas esse suspicantur. Ille et bellum Trojanum eodem fere, quo epici narrabant, progressu evenisse, et vixisse heroas illos omnes suamque patrasse vicem firmiter credidit. Quod quum propter communem illum Graecorum de memoria fabulari consensum per se statuendum fuerit, tum certis exemplis possumus praestare; etsi non omnia, quibus scriptor aliquis Aristotelem auctorem citavit, hunc pro teste jurato affirmasse dicamus, ut Telemachum Nausicaam in matrimonium duxisse (ap. Eustáth. ad Odyss. π, 118. p. 1796.); primum Theseum plebis libertati favisse, idque ipsum testari Homerum, qui in catalogo solos Athenienses *δῆμον* appellet (nisi hoc alterum de suo addit Plut. Thes. 25.); vel versum Hesiodi Op. 365. Pitthei Troezenii dictum referre (Plut. ib. 3.). Haec atque similia ut in medio relinquamus
11 quâ mente perhibuerit Aristoteles: at videmus eum poet. 26, 25. Cephallenibus suffragari, qui Penelopae patrem Icadium, non Icarium, nomine in sua insula habitasse dictitarunt. Tam curiose qui hominum Homericorum

memoriam exegit, is certe non tenuem Trojae captae famam commentis crevisse, sed antiquissimo cuique poetae largam Trojanarum rerum materiam suppetiisse credidit, ex qua quae in carmen propositum recte cederent, selegisse potius quam excogitasse videretur. Jam nos si hanc opinionem nostro modulo metimur, sententiam dividendam arbitramur. Si rerum ab Homero traditarum fides quaeritur, quod tuto credi possit, ad minimum redigimus: eversam Atridis ducibus Trojam; redeuntium alios disjectos ac diu vagatos esse, alios domum postquam venissent expulsos a suis peregrinas sedes quaesisse. Haec certa habemus, de singulis ambigimus omnibus. Belli et illati caussam et patrati machinam et gesti tempus decenne manifestis statim indiciis poesin prodere putamus. Vehementer miramur eos, qui in Dionysii cyclographi, recentissimi fabulatoris, aut Cratetis forsitan sententiam proxima ab ipso bello tempora loquuntur, quum de Homeri aetate disceptatur. Speramus mox omnes illud concessuros, quidquid in Iliade et Odyssea nunc legatur carminis, id in Asia et aliquot saecula post bellum Trojanum esse conformatum. Denique, quum belli hujus indicia circumspicimus, nos non fugit, quosdam, qui diu post reditus illos infelices Asiae, Cretae, Italiae oras possederint, aliquem ex heroibus illis, quem 12
domestico cultu colerent, coloniae sibi conditorem finxisse. At enim idcirco non omnem rei memoriam ex historia tollimus; ipsa enim tristitia eventorum, quae Ilias habet, per heroum illa ἀριστείας profecto non decurrens, nos prohibet, quominus Aeolenses in majorum gloriam talia omnino finxisse suspicemur. Neque magis ab animo impetrare possumus, ut aut Hermanno assentiamur, qui nominum cum factis cujusque congruentium etymis omnem rerum veritatem dilui voluit (de mythol. antiquiss. p. 2.), aut Voelckero, qui Ulyssem et Penelopam ex Apolline et Diana effictos esse aliquando demonstratum ivit (Seeb. Bibl. cr. 1828. n. 20. p. 157.): cujus si ludere ludum vellem, Mercurium fortasse similiter exhiberem. *) Sed

*) Varia de Homeri fide historicâ judicia v. ap. Niebuhr. H. R. I. p. 184. ed. 2. Hoeck. Cretae II. p. 253. Cammann. *Vorschule zu der Iliade und Odyssee p.* 87—106. et Plassium: *Versuch über den Trojanischen Krieg als historische Thatsache, in Seebod. Sylloge* 1828. *Fasc. IV. p.* 40—63.

revertor ad Aristotelem. Ab hoc igitur quum ita, ut diximus, dissideamus de altero quod fabularum, qua Homerus usus fuerit, copiâ continetur, satis bene convenit. Nemo Graecorum Homerum aliter poetarum antiquissimum dixit, quam ut eorum quorum scripta exstarent illum primum poneret (cfr. Herod. 11, 53. cum ib. 23). Etiam Aristoteles ante illum multos fuisse putavit (poet. 4, 9). Quod quibus verbis profitetur, ea simul nos admonent, quam diverso a nostris judicio ille jam Homeri aetate, atque ante etiam varia poesis et metrorum genera nota fuisse crediderit. Sed si modo
13 intellexerimus, aetatem Lycurgo proximam Homero et certissime omnium et rectissime poni, ne ab illo quidem judicio amplius abhorrebimus. Nam videtur quidem, quaecunque est de antiquissimâ poesi fama, eo nos perducere, ut omnia remotissimae aetatis genera, primo, praeter epica, paeanas et threnos, mox hymnos et dithyrambos, hexametra fuisse putemus: tamen illa opinio, qua fere alterum ex altero ducimus metrum, aut unum post alterum inventum esse narramus, vix satis recte habet. Imo quod de pentametro Thierschius Act. Mon. III. p. 583. ad alios simul versus quodammodo erit propagandum. Sed veniendum est ad alterum quoddam, quod cum nostrâ nunc quaestione conjunctius in simili judicii discrepantiâ versatur. Nos heroum Graecorum quum omnem historiam tum mores temporum progressu a poetis varie conformatos esse existimamus; Aristoteles vero et Homerum et quemvis alium poetam, etiamsi res traditas carminibus complexi essent, mores tamen personis non variationis studio ac progressu, sed suapte arte finxisse putavit; ut exhibuerint quales vellent et consentaneum videretur. Quocirca, quum nos excipientium sese carminum comparatio doceat, Ulyssem a posterioribus demum ex prudenti vafrum esse factum, idque ab iis, qui Palamedem, candidioris sapientiae virum, in fabulam Trojanam recepissent: Aristoteli neutrum placuit. Jam videremur quidem, quam poetis in fingendis moribus concedere debemus libertatem, ad illud quoque exemplum et quandam aequalium sibi poetarum inter sese discrepantiam bene recteque trahere: sed morum mutatio e fabularum mutatione consequuta est, quam progressu quodam factam esse certis indiciis cognoscimus. Aristoteles quod insaniam ab Ulysse simulatam inter ea com-
14 memorat, quae Homerus Odysseae inserere noluerit, notam huic fuisse

fabulam sumpsit, quam a posterioribus adjectam esse testatissimum habemus. Interpolator Odysseae ω, 119. tantum quidem narrat, Ulyssem ab Agamemnone et Menelao *aegre* perpulsum ad belli societatem: sed Palamedem, qui tum insaniae fraudem callide arguerit, ad Trojam vero ab eodem Ulysse et Diomede sit interemptus, Cypria asciverunt (v. Proclum et Paus. X, 31, 1.); Homero ejus notitia nullo modo vindicari potest. Parum igitur accurate Aristoteles singularum fabularum aetates exegerat, communi quidem veterum vitio, in quibus nihil magis desideramus, quam vicissitudinum, per quas rerum condicio aut memoria processerit, distinctionem. Quare ne eâ quidem excusatione utemur, ut dicamus Aristotelem ista ad eandem famae diversitatem retulisse, quâ aequales etiam auctores de iisdem factis multum saepe inter se discrepent. Verum enim vero, etsi non possumus, quin alia, velut Iphigeniae illud periculum Aulidense, a posterioribus inventa esse, alia, ut armorum judicium et Ajacis necem, multis modis variata agnoscamus: illud tamen plane verum vidit philosophus, totius belli actus et reditus illos suis jam fabulis celebratos fuisse quum Ilias et Odyssea fierent. Praeterea quod verbis ejus subest magis quam expressum legitur, id nos persuasissimum habemus: multos poetas Trojanarum rerum partes cecinisse, antequam majora illa carmina conderentur. Ergo ille vere factarum rerum plus fortasse, quam credibile est, ad Homerum auditione perlatum esse sumpsit: at delegisse poetam ex uberiore materiâ ea, quae Iliade et Odyssea complecteretur, docuit verissime. Abjicimus ac prorsus damnamus illud antiquioribus tritissimum, quum hic vel ille locus fabulae alicujus fons esse dicitur. Multarum rerum apud Home- 15
rum admodum tenuis mentio est; earum hic sane auctor nobis antiquissimus exstat, ita si fabulae fontem appellare velis: ipse autem poeta e carminibus ista uberioribus delibavit, neque ex iis solum, quae de bello Trojano essent, sed ex Heracleis etiam et fortasse Argonauticis ac Thebaidibus. *Omnino Homerum Iliadem et Odysseam consummasse citius quam inchoasse dixerim, atque in antiquissimae aetatis quodam termino constitutum aemulorum excitasse studia, ut antiquiorum e fabulis ansas similiter caperent.*

III.

Instituitur disputatio de ceterorum epicorum ad Homerum ratione.

Transitum paravimus ad alteram disputationis partem, quâ de praestantiâ Homeri in Aristotelis locos commentandum nobis sumpsimus. Longe id nobis expeditius esset, si plura philosopho carmina in comparationem adhibere placuisset. Nunc frustra requirimus, quid de ***Epigonis*** vel ***Thebaide***, et de ***Oechaliae halosi*** censuerit, quorum fama insignis nos maxime convertit. Quamquam enim ne ista quidem carmina pervagato judicio Homero tributa dixerim, sed Epigonos vel Thebaidem a pluribus quidem, Oechaliae vero halosin non nisi ex poeticâ quadam, quae de Creophylo fuerit, famâ, quam Callimachus in ejus gloriam interpretetur: nihilominus praestantiae opinionem animadvertere debemus, quae judiciis istis inest omnibus. Ac primum nunc illorum carminum mentionem injicere ideo utile videbatur, ut lectores admoniti, quae hujus generis carmina et suis decora virtutibus et aetate ab Homero proxima Graeci habuerint, in Aristotelis
16 condicionem illam judicandi sese magis insinuarent, eâque bene informatâ Wolfii expenderent opiniones, etiam in Aristotelem iniquiores. Nam etsi multa, ut ***Phoronis***, ***Alcmaeonis***, ***Minyas***, quantum ex tenuissimis reliquiis assequimur, vix ad Pisandri Rhodii et Leschis aetatem Ol. 33. rejicienda videantur: tamen ante Pisistratum et Amasidem ejus generis multa fuerunt; Epigonos vero et reliqua, quae supra posuimus, vix potuerimus quin poetis Arctini saltem aequalibus assignemus. Haec igitur omnia Aristoteles a suo quodque poetâ composita, et qualia quantaque inventa fuissent ad posteritatem tradita credidit; neque aliter de Iliade et Odysseâ statuit. Quid nos? num sejungenda ac discriminanda putabimus, quae ille uno omnia modo et inventa ab auctoribus et ad suam aetatem propagata esse in animum induxerat? Si et ratione lubricum videtur, neque historia animum facit, ut Homerum a ceteris divellamus, videant, qui antiquitatis fidem reverentur, quid consequatur. Atque illa quidem opinio satis explosa est, quâ Pisistrati aetate si Homerica, etiam ceterorum carmina primum literis consignata esse necesse fuisset. Iam conjunctâ epicae poesis caussâ ita porro quaerendum erit, ut, quae carminibus integritas, quae rhapsodo-

rum licentia, quis et a quo inde tempore scriptorum exemplorum usus fuerit, diligenter cognoscamus. Si quid recte auguror, mirabimur in Aristotele reliquisque λυτικοῖς, quod interpolationis ne in mentem quidem venerit, aliorum vero errorum eos difficillime convincemus. Sed nunc ad ipsa Aristotelis pergendum est judicia. Is igitur, ut supra vidimus, in altero loco *Heracleida* et *Theseida*, in altero *Cypria* et *Iliadem minorem* cum Homericis in horum praestantiam contulit. Prorsus igitur exclusit genealogica, quae neque de uno neque de uno tempore, neque omnino de una actione etsi multiplici fuerunt. Haec plane videtur ad historiarum genus 17
abjecisse. Sed e ceteris quod illa maxime elegit, id ad compositionem eorum inprimis inconcinnam spectat. Ac Theseida quam dicat, ne conjecturâ quidem tuto possumus existimare. Neque tantum intelligimus, utrum antiquiorem aliquam viderit, an poetas aequales aut se paullo priores notet, de quâ re incautius statuit Wuellnerus de cyclo epico p. 55. ubi haec: „Unam, quae longe antiquissima videtur, Aristoteles laudat." Non minus dubium est, num Pythostrati illam ap. Diog. La. 11, 59. legere potuerit, vixit enim hic Epaminonda et Pelopida posterior. Denique Plut. in Thesei c. 28. ἦν γὰρ ὁ τῆς Θησηΐδος ποιητὴς Ἀμαζόνων ἐπανάστασιν γέγραφε, quibus verbis sibi unam tantum Theseidem notam fuisse profiteri videtur. Versus ab eodem c. 32. positos e Theseide non ascitos puto. Heracleas quot habuerit antiquitas, post Od. Muell. Dor. 11. luculentius persequutus est *A. Vogelius* in *Hercule* secundum Graecorum poetas et historicos descripto et illustrato, quem edidit Halis anno MDCCCXXX. Ex his num Cercopis Milesii Aegimium et Creophyli Halosin Oechaliae tangat notatio, dubitare licet; nam haec plus certe quam aliorum Heracleae unius actionis finibus circumscripta fuisse videntur. Pisander duodecim labores in Heraclea complexus fuisse haud temere putatur. Latissime vagatus videtur Panyasis, qui quod a Clemente Alex. Creophyli Halosin compilasse insimulatur, id non impedit quominus eum plura persequutum esse dicamus. *) Sed omittamus haec,

*) De Cinaethonis Heraclea nihil liquet. Praeterea convertit Demetrii Phalerei testimonium de Demodoci Laconis carmine ap. Schol. ad Od. γ. 267. et Pseudo-Plutarchi de fluv. c. 18, 4. ἱστορεῖ Δημόδοκος ἐν ά Ἡρακλείας.

18 quum de Aristotelis mente nulla possit esse dubitatio. Neque nunc attinet quaerere, quae ejusdem descriptionis alia mente tenuerit. Alcmaeonidem in hoc genus confidentius referat; Perseidos ap. Pseudo-Plut. de fluv. p. 461. Hutt. incerta significatio est; Meleagridem vero Antisthenis ap. eund. c. 22, 3. oratione soluta scriptam fuisse idque aetate recentiore prope compertum habeo. Convertamus igitur nos ad *Cypria* et *Iliadem parvam*. Disputationis de his instituendae condicio quam laetis studiorum fructibus quam insigniter mutata sit et in dies magis mutetur ex illâ, qua Wolfius olim et Frid. Schlegelius usi sint iniquiore, homines literatos non est, quod doceam. In qua literarum nostrarum felicitate quicunque exsultet, ne Wolfium illaudatum dimittat, cujus e seminibus haec seges omnis effloruit, quamvis ipse a veritate abfuisset. Deposuimus igitur, quem ille imbiberat, errorem, quo Cypria, Aethiopidem ac reliqua carmina Homericis cognata Procli ex argumentis existimabantur; intelleximus etiam, ejusdem Procli illud judicium ap. Photium p. 521. H. *ὡς τοῦ ἐπικοῦ κύκλου τὰ ποιήματα διασώζεται καὶ σπουδάζεται τοῖς πολλοῖς οὐχ οὕτω διὰ τὴν ἀρετὴν ὡς διὰ τὴν ἀκολουθίαν τῶν ἐν αὐτῷ πραγμάτων*, hoc non tam genuinam integrorum carminum formam, quam decurtatorum illam collectionem spectare, et utentium magis studia quam ipsorum carminum condicionem referre. *) Porro etsi nequaquam jam effectum est quod ad judicandum Homeridarum illorum poesin requirimus (scitissime adumbratum ab Ahrensio in Iahnii annal. philol. XIII, 2. p. 185.), tamen multorum monitis in agnoscendas eorum virtutes satis erecti sumus. Sejungamus igitur hanc quaestionem ab alterâ, quae adhuc per miras turbas
19 agitata multos transversos egit. Mittamus in praesenti, cycli et cyclicorum nomen quando primum et quam varie positum sit, circumspicere, id enim scire ad ipsorum carminum cognitionem plane supervacaneum est: **) unum

*) [Utentium studia, inquam; neque enim tam propter virtutem quam propter cognitionis utilitatem carmina cycli vulgo lectitabantur. Teneo autem sententiam etiam post ea, quae nunc Welckerus disputavit de cyclo p. 31.].

**) Disquisitionis justae spem fecit summus Lobeckius in Aglaoph. p. 417. [Welckerus, quod factum nollem, rursus utramque quaestionem conjunxit, cycli historiam parum recte composuit.]

teneamus, quod jam in Meletematum de Historia Homeri Fasc. I. p. 113—118. et 152 sq. a me demonstratum Trojani cujusdam cycli opinionem habet, *) Trojanae fabulae poetas, quum in conterminis Iliadi et Odysseae argumentis elaborarent, iniquiore quidem condicione neque pari ingenio, at aemulatos tamen esse Homerum haud inscite. Hoc obtinere studentibus tantum abest, ut obroget Aristoteles, ut satis humane in partes venturus videatur.

IV.

Aristotelis norma, qua epici carminis descriptionem censuit, expenditur. Cypriorum compositio.

Ad pensitandum Aristotelis judicium nihil nobis adjumenti suppetit, nisi Procli argumenta et tenues quaedam carminum reliquiae. Nam quod Herodotus II, 117. novit, qui Cypria Homero inscriberent, et si qua alia ejusdem opinionis indicia sunt, aliquantum sane laudis carmini ex eo conciliare possumus, sed de complexionis arte nihil inde discitur. **) Primum 20
autem omnium videamus, qua ratione Aristoteles carminum illorum actionem multiplicem censeat. Manifestius hoc in sola Iliade parva cognoscere licet. Ex hac enim quot tragoediarum argumenta desumi possent, indice posito dinumeravit. Sed quum verba ipsa incuriam quandam annotandi referant, quomodo singulas fabulas descripserit, et quid ex isto recensu ad judicandam epopoeiae complexionem recte ducamus, non satis expeditum

---

*) Memorabile mihi visum est Scholion, quod Osannus primus edidit repertum in cod. Parisino, ad Clem. Al. coh. ad Gr. p. 19 A. *Κύπρια ποιήματά εἰσιν τὰ τȣ̃ κυκλȣ̃· περιέχει δὲ ἁρπαγὴν Ἑλένης· ὁ δὲ ποιητὴς αὐτῶν ἄδηλος· εἷς γάρ ἐστι τῶν κυκλικῶν· κυκλικοὶ δὲ καλȣ̃νται ποιηταὶ οἱ τὰ κυκλῳ̃ τῆς Ἰλιάδος ἢ τὰ πρῶτα ἢ τὰ μεταγενέστερα ἐξ αὐτῶν τῶν Ὁμηρικῶν συγγράψαντες.*

**) Pindarus quid de Stasino Homeri aemulo dixisse videatur, explicui in Meletematum Fasc. I. p. 119. et Encyclop. Halensi s. v. Odyssea. Neque Platonem in Euthyphrone illâ *τȣ̃ ποιητȣ̃* significatione Homerum denotare arbitror.

est. Potuit aut nullâ fabularum, quae exstabant, ratione habitâ carminis
partes ad suam, quam de actionis integritate et ambitu definierat, doctrinam
dispescere, aut fabularum, quas tragici vere exhibuerant, sive omnium sive
quarundam multitudinem demonstrare, aut denique epopoeiae decursum ita
sequi, ut eas ex pluribus eligeret tragoedias, quae illius fabulas aptius re-
tulissent. Ex his rationibus dubium non est quin tertiam amplexus sit;
nam nomina posita et cum Procli argumento congruunt, et fabulas denotant
a poetis itidem inscriptas (v. Hermann. ad. l. p. 170.); neque omnino vide-
tur ejusmodi titulis partes carminis significaturus fuisse, nisi ipsae quae
exstarent fabulae succurrissent. Attamen ne hunc quidem divisionis modum
accurate tenuit, aut tenere potuit, quum semel tragicorum nomenclaturam
adhibuisset. Nam priora quidem vocabula, Armorum judicium, Philoctetam,
Neoptolemum, ita posuit, ut eas partes, quas alii poetae sub aliis nominibus
21 tractassent, disertius insigniret: sed saepius tamen alter in alterius provin-
ciam venerat, aut altero plura erat complexus, quod in Ilii Persidem certe
cadit. Deinde negligenter Aristoteles adscripsit earum fabularum nomina,
quae in eâdem plane in quâ ante dictae parte versabantur. Itaque ille ne-
que exactam satis rationem instituit, et institutam ipse quodammodo tur-
bavit, utroque autem impediit, ne nos nunc Iliadis parvae formam ex titu-
lis istis bene possimus existimare. Nihilominus, quae legimus, omnino in
nostros usus sufficiunt. Nam si ipsam quaerimus judicandae actionis legem,
quam Aristoteles adhibuit, dinumeravit is carminis partes et factas ex iis
fabulas tot fere numero, quot *περιπετείας* exempla a poetis excerpta et trac-
tata videbat. Sin epopoeiae ambitum cupimus cognoscere, primum ex istis
verbis dudum intelleximus, Iliadem parvam ab eo belli statu profectam,
quum Achille sepulto in armorum judicio Ulyssis sive virtus sive versutia
vincit mox inprimis valitura, longe ultra Procli fines usque ad eversam
Trojam et ipsum Graecorum discessum esse progressam; ut quum initium
haberet ex eo, quod Aethiopidi extremum erat, eadem persequuta sit, quae
Arctini Ilii Persis. Deinde medias quoque partes in universum adumbratas
legimus. Jam vero norma Aristotelis ipsa consideranda est. Haec ultro
ei subnata est ex illa actionis integritate et congruentia, quam fabulis tra-
gicis et epicis eandem proposuit: ita vero ut faceret, historia eum magis et

externa utriusque poesis condicio, maximeque argumentorum communio adduxerat, quam Homericae artis admiratio cupidior. Quod nunc breviter positum, alias explicabimus uberius. Sed quod saepe usu venit, ut doctrina astrictior exempla parum recipiat, id in hac quoque accidere videmus. Ex eo, quod tragici Iliadis parvae partes in magnum fabularum numerum converterant, colligit Aristoteles, ejus actionem minus esse congruam. Haec conclusio probabilitatem habet, necessitatem nullam. Primum enim exigi oportuit, quam recte tragici illis partibus usi essent; deinde quam partem tragicus in peculiarem actionem conformavit, ea in epopoeiâ vel in factorum serie gravioribus subjecta et alterum aliquem in finem intenta esse potuit. Itaque ipsa certe ratio, quod debebat, non valet. Verum enim nos ita judicamus caussâ quasi incognitâ; ipsum enim carmen quo modo singula temperata habuerit, non licet considerare, consideraverat autem Aristoteles. Igitur par esset sensum quendam in judicium assumere, quem ex lectione ille traxisset, nisi ipse sibi adversari videretur. Alio enim loco (c. 18.) epicam et tragicam compositionem accurate distinguit, neque solum totam Iliadis fabulam unâ tragoediâ comprehendi vetat, sed etiam Ilii Persidem. Idem c. extr. s. fin. ex unaquaque epopoeia plures tragoedias fieri dicit; unam enim si epici fabulam effingant, carmen aut longitudinem justam non habiturum esse, aut, eam si efficere velint, languidum evasurum. Sin plures conseruerint fabulas, non unam amplius futuram esse actionem: ut Ilias et Odyssea multas contineant partes, quae etiam per se suam habeant magnitudinem. Quanquam haec poemata, quantum genus epicum recipiat unius actionis imitationem, optime composita sint.“ Cum his ita positis quî convenire dicamus illa, quae cap. 23. leguntur in quo maxime versamur: optime fecisse Iliadis poetam, ut qui unam belli Trojani partem selegerit; ita ex Iliade unam vel duas fieri tragoedias, itemque ex Odyssea; ceteros epicos multarum partium actiones concinnasse, velut Cypriorum et Iliadis 23
parvae auctores? Intelligimus, opinor, eum ista omnia in hoc intentum disputasse, ut tragicos poetas praeceptis instrueret, quos ex epicis carminibus argumenta sua repetere tantum non omnes vidisset. Bene perspectam habuit tragoediae commotiorem, intentiorem, adstrictiorem naturam; leniorem, remissiorem epopoeiae. Diversam utriusque vim ac rationem in iisdem saepe

fabulis sensit. Laborabat autem de magnitudinis aut justae compositionis lege, quam solis exemplis aestimabat, aut in universum recte positam ideo non satis accurate tenuit, quod, quum illa ex fabularum momentis apta esset, haec momenta etiam in epopoeia ad tragoediae naturam revocavit. [Utiliter conferes Ulrici Hist. poes. gr. I. p. 209 sqn.]. Nos cum ipso fabula quid sit, in universum ex condicionis unius caussis, quibus principium et exitus constet, existimandum censemus. Sed jam dissentientes ex eo requirimus, qua ratione Neoptolemum, Philoctetam, Eurypylum propriarum fabularum nomina ponat, ubi epopoeiae actio quaeratur. Rursus tamen eum justae aliquid si non rationis at observationis sequutum esse largiendum videtur. Ex Iliade et Odysseâ quod unam vel duas ex utraque tragoedias fieri judicavit, hoc ita dixit, si tragoediae illae ipsam factorum seriem aut summam utriusque carminis complecterentur (v. Herm. ad I. p. 169.). Parum igitur recte aliquis etiam Meleagrum et Bellerophontem fabulas ex Iliade sumi potuisse objiceret propter *ζ*, 166 sqq. et *ι*, 527 sqq. Jam illud ipsum, tragoediam ut aliquis fingat ex Iliade unam vel duas, priore illo loco c. 18. eo praecepto astringit, ut ne tota Iliadis, quae per ambages progreditur, fabula comprehendatur; tragoediam enim *τὸ ἀθροώτερον* requirere. Quodsi quis accuratius quaerat, qualem et quo modo comprehensam Aristoteles dixisse videatur unam illam aut alteram tragoediam: Welckerum quidem si audierit, unam interpretabitur fere eam, quam Aeschylus trilogia illa complexus est, in qua Myrmidones et Hectoris Lutra fuisse putantur (de media fabula magis ambigua res est), alteram vero ex secundariis partibus repetendam esse conjiciet (v. Welck. Trilog. p. 458. cll. p. 415 squ.). Verum haud scio an Aristoteles illud *μία τραγῳδία — ἢ δύο μόναι* ex illo usu posuerit, quo Graeci saepe paucitatem summam infinite declarant *);

---

*) Herodot. II, 121, 1. *καὶ ὑπὸ δύο ἀνδρῶν καὶ ὑπ' ἑνός.* Plat. Civit. V. 473 *B. μάλιστα μὲν ἑνὸς, εἰ δὲ μὴ, δυοῖν, εἰ δὲ μὴ, ὅτι ὀλιγίστων.* — Saepius ac saepissime cum negatione: Hom. Od. *μ*, 154. *ξ*, 94. Plat. leg. X. 908 D. Dem. Phil. III. p. 110. Isaeus p. 26. Rsk. *καὶ ὐδὲ μεθ' ἑνὸς ὐδὲ μετὰ δυοῖν, ἀλλ' ὡς ἂν μετὰ πλείστων.* Lysias in Eratosth. p. 446. *ὐδὲ γὰρ ἑνὸς — ὐδὲ δυοῖν ἔργον ἐστὶν ἀλλὰ πολλῶν* —. Rursus autem *duo aut tres* multitudinem declarant: Herod. II, 120. *δύο ἢ τρεῖς ἢ καὶ ἔτι πλείυς*, ib. 21, 2. *καὶ δὶς καὶ τρίς* —.

quae ratio eam vim habet, ut credere liceat, Aristotelem hoc potissimum
voluisse tragoedias numero plures ex simplicissima actione Iliadis haud fa-
cile fieri, sed, si forte, argumentum simplex in paucissimos actus, quales
trilogia Aeschyli habuerit, dispesci. De secundariis autem partibus ac sin- 24
gulis quibusdam, quae a tragicis excerpi et in justae fabulae modum con-
formari possint, Aristotelem cap. extremo loqui suspicor. Nihilominus,
dum has respicit, tenet illum sensum, quo Iliadem unam conficere actionem
dixerat, itemque de Odyssea. In his quid viderit, ipsi possumus existi-
mare; in Iliade minore divinamus eum requisivisse eam implicandae actio-
nis artem, ut partium illa varietas auditorem non distineret. Atque eadem
Cypriorum fuerit compositio, quorum exordium de Welckeri sententiâ Tri-
log. p. 29. bene definit Ahrensius Jahn. Annal. XIII. 2. p. 194. exitum
vero p. 200 et 201. non recte interpretatur. Quamvis enim novam Jovis
βουλὴν Cypria fingant, atque in alium plane finem vertant irati Achillis se-
cessionem: hoc tamen invento ad sollicitandum Iliadis exordium abuten-
dum non est. Caussa belli, quam Cypria habent, in cujus usum etiam He-
lena Nemesios filia esse fingebatur, tristitiâ suâ ac gravitate ab aetatis Ho-
mericae ingenio et Iliadis omni sententiâ mirum quantum abhorret; ut per
se plane incredibile sit, veterem aliquam Iliadis formam illis Cypriorum
quasi auspiciis unquam respondisse. Non magis cycli illis collectoribus
hoc imponendum est, ut consertorum carminum etiam sententias sibi attem-
perarint; neque, si quid ingenitum erat discrepantiae, illi hoc tollere po-
tuerunt aut curarunt; quorum unum erat, variorum poetarum carmina, varia
illa ac saepe tum fabulis tum sententiis discrepantia, ita contexere, ut re-
rum gestarum perpetuitatem servarent. Praeterea decurtatum aut deforma- 25
tum esse argumenti Procliani finem, prope certum videtur; neque aliunde
id damnum tuto reparare possumus. Aristoteles igitur satis habuit, Cypria
breviter commemorare in exemplum carminis, quod inprimis multiplex tra-
goediis materiam praebuerit plurimis. Culpam ejus rei omnem in poetae
ingenium contulit. Nos praeterquam quod variarum partium compositionem
certe ex Proclo satis cognosci posse non credimus, excusationem aliquam
poetae quaerimus ex argumenti condicione, aut culpam illam ita conforma-
mus, ut eum materiam sumpsisse dicamus, quae varietate congruentiam

ipsa respuerit. *) Sed subnascitur nobis haec disputantibus alia cogitatio. Haud sane possumus multum negare, si quis Cypria et Iliadem parvam ideo potissimum commemorata dicat, quod ex iis ipsis tragoediae plurimae effictae fuissent. Atqui, si ea res aliquam ad Aristotelis judicium probandum vim habuit, ceteris carminibus, quae ille sententiae suae confirmandae minus adhibere voluit, ex eo silentio laudis aliquid conciliare licebit; aut, si minus tuto praestantiae capimus conjecturam, utile certe erit, reliquorum quae e fabula Trojana in cyclo fuerunt compositionem, quantum eâm nunc existimare possumus, et cum Cypriis et Iliade parva et cum Homericis conferre. Neque enim Aristotelis illa judicia, quibus Iliadem et Odysseam compositionis praestantiâ super omnia epicorum aliorum carmina efferens, cetera eodem omnia loco habere videtur, nos impedient, quominus quum quaedam ad illarum artem propius accessisse demonstremus, tum ipsa inter sese varie discriminemus. Atque hac denique disputatione, etiam de Iliade et Odysseâ quid ille recte viderit, accuratius demonstrabitur.

V.

Ilias et *Odyssea optime compositae. Earum argumenta desumpta e quinque partitâ belli Trojani historiâ.* De *quinque Trojani belli temporibus alius poeta aliud complexus est; Arctinus* et *Lesches in eodem elaborarunt.*

26 Persuasissimum habemus considerate Aristotelem ac merito etiam descriptionis laudem carminibus Homericis praecipuam dedisse. Observaverat, Odysseam, statim ab initio in exitum intentam, eo artificio Ulyssem in adumbratam prioribus libris condicionem adducere, auctaeque sensim culpae vindicem sistere, ut cum hujus operis complicatione ac sollertia nullam posset carmen comparari. Iliadem vero viderat eam belli Trojani

*) [Majoris artificii et congruentiae laudem Welckerus Cypriis conciliare studuit in censura Henrichseni, quae exstat in Zimmermanni Diar. discipl. antiqu. a. 1834.]

condicionem habere, quae a primis irae caussis profecta omnibus ejus effec-
tibus exhaustis in Achillis animo ad humanitatem revocato compositoque
Hectoris funere consisteret. Quod non ita dicimus, quasi Achillis ira
insit omnibus, quae per Iliadis progressum eveniunt: at *subest* tamen.
Per irae ac secessionis illius tempora haud inermes sunt Graeci; prodeunt
atque excellunt alii propugnatores. Nihilominus Trojani, quod volunt, mox
in eo sunt ut efficiant. Jam tempus erat, ut Achilles communi saluti om-
nem dolorem remitteret: compos erat voti. At ille ne nunc quidem a se
impetrat, quod par erat. Ipse dum animo implacabili se aliquando laesum
dolet, suorum periculis amicum permittit, ne objicere dicam. Ita sibi
irasci incipit. Atque hic demum locus est, quo tragicam Ilias na-
turam induit; hic enim Achillem sistit cum nobilis caussae excu-
satione at noxam tamen subeuntem. Hinc igitur ducebatur argumentum,
quod Aristoteles ex Iliade desumi posse vidit primarium. Item Odyssea
unam tragoediae praebuit Ulyssis reducis ultionem; cui accedere poterat
Telemachi periculum, si quis huic primas tribuere volebat. Hanc utriusque
carminis rationem qui bene consideraverit, non poterit negare, condicionis, 27
quae in illis explicetur, congruentiam, si isto modo ad tragoediae normam
exigatur, optime sentiri. Nam carmen, quod ab ira Achillis profecit, nemo
eo tempore finiat, dum Diomedes aliique rem Graecorum aliquatenus sus-
tinent; neque Odysseam terminandam censeat, dum Telemachi reditus in
congressum cum patre differtur, Ulysses vero ipse se per Phaeacas do-
mum deductum iri sperat: sed Ilias eo demum loco in finem suum intendi-
tur, quo Achillem, etiamsi ipsius navem periculum nondum attingebat,
justissima tamen caussa ad deponendam iram hortabatur; Odysseae vero
consummatio praeparatur, quum Ulysses in patriam redux vindicandae
domus consilia init. Ergo bene observaverat Aristoteles, utrumque carmen
eo maxime loco necti ac contineri, qui tragoediae initium haberet. Ultra
vero eum sequi atque omnino carminibus epicis eandem quam tragoediae
proponere compositionis legem, si hoc revera voluisset, non possemus.
Sed, quod ille ipse satis videtur sensisse (v. c. 27.), epopoeiae explicatio
saepe plurium casuum momenta pluriumque deinceps hominum ad affectus
nostros magnitudines recipit, si modo certa subsit condicio, in certâ

aliquâ s. affectione s. voluntate atque appetitione posita. Hanc condicionis congruentiam optimum quemque epicorum vere sequutum esse, satis potest praestari. Quanquam, si quid conjectare probabiliter licet, qui ante Homerum heroum labores celebrarunt poetae a compositionis arte rudiores, singula singulis adjicientes non solum de Argonautis et Thebarum expugnatione, sed etiam de Herculis rebus gestis et de bello Trojano magnam fabularum copiam persequuti erant, a quarum varietate posteriores sibi saepe non satis temperarunt. Ac belli Trojani historia in tantum creverat,
28 ut sui ejus quinque et amplius actus numerari possent. Numeramus autem haec ejus tempora condicionis diversae ac propriae: Primum habet belli primordia et proelia cum rapinis, quibus Trojae vicinia infestatur, donec ipsi urbi propius accedunt; secundum continet Achillis secessionem et summam gloriam Trojanorum et Hectoris, quem ille, Patrocli morte tandem excitatus, saevissime conficit; sequitur tertium, quod ab Hectoris funere ad Achillis exsequias junctamque his Ajacis necem pertinet. Jam utriusque partis fere fortissimo quoque caeso, aut certe iis absumptis, qui vi ac fortitudine victoriam in alterutros vertere potuerunt, res fato concedit. Quod postquam mox Paridem, belli auctorem, oppressit, diique extremum de leniore in Trojam sententiâ consultarunt: evalescentibus Minervae studiis dolisque Ulyssis urbs obsidione clausa expugnatur. Haec ipsius expugnationis condicio quartum tempus conficit, quod deinceps excipit quintum, reditus victorum infaustos complectens; cujus materia in Ulyssis et ceterorum reditus dispescitur. Jam dudum sentio, quam diversam ab aliorum suspicionibus disputationem instituerim; verum audiant perorantem, et videant, quid sequar. Primum igitur Iliadem et Odysseam ipsas testari arbitror, antequam fierent, multa fuisse de singulis belli Trojani temporibus carmina. Neque enim tunc demum omnino fictas illas fabulas esse in animum inducet quisquam, neque Homerum opinabimur solam famam et auditionem sequutum esse *). Etiamsi igitur ea aetate, quae inter Home-

*) E singulis locis, qui aliorum temporum mentionem habent, dubitavi de Achillis et Ulyssis altercatione Od. θ, 75 sqq. quorsum pertineret. Nunc illo θεῶν ἐν δαιτὶ

rum et Arctinum Stasinumque media est, fabulae multis modis exornatae 29
sint, quod factum esse Cypria maxime produnt (Telegonia enim prope tota a recentioribus conficta videtur, cfr. Welcker. Trilog. p. 464.): tamen jam Homero variorum fuit temporum optio. Elegit autem, si utriusque eum carminis auctorem esse credimus, primum ex ipsius belli historiâ tempus multis nominibus gravissimum, quo summi ducis injuria fortissimum omnium in otium Graecis funestissimum summoverat, quo Hectoris eminuit virtus, quae ipsa tandem amico dulcissimo orbatum Achillem ad pugnam saevissimamque ultionem concivit. Nulla alia pars belli tam certâ condicione nitebatur, tamque peculiare habebat ingenium. (*καθ' ὃν χρόνον αἱ πράξεις ἐνεργότεραι καὶ ἀκμαιότεραι κατέστησαν.* De Hom. poesi c. 20.) Multo tamen maxime poetam animorum illi aestus atque illa opportunitas invitasse
videtur, *) qua impotentia animi quantum damni ferret docere, suamque 30

θαλείῃ prope adducor ut rem ad illud tempus referam, quum Graeci primum Tenedum appulerant, mox in Trojae oram trajecturi. Nam Cypriorum argum. haec habet: *ἔπειτα καταπλέουσιν εἰς Τένεδον καὶ εὐωχουμένων Φιλοκτήτης ὑφ' ὕδρου πληγεὶς δια τὴν δυσοσμίαν ἐν Λήμνῳ κατελείφθη· καὶ Ἀχιλλεὺς ὕστερον κληθεὶς διαφέρεται πρὸς Ἀγαμέμνονα.* His adhibeo Fragm. Sophoclis, quod *Συνδείπνου* septimum numerant ap. Plut. de adul. c. 51. *ὡς ὁ παρὰ Σοφοκλεῖ τὸν Ἀχιλλέα παροξύνων Ὀδυσσεύς, οὐ φησιν ὀργίζεσθαι διὰ τὸ δεῖπνον, ἀλλ' Ἤδη, φησὶ, τὰ Τροίας εἰσορῶν ἐδώλια Δέδοικας.* v. seq. Haec manifesto indicio ad illum Cypriorum locum nos deducunt; nam in Trojae conspectu convivium est, et Agamemnoni Achilles propter convivium irascitur, cui sero adhibitus discessum minatur. Ita istis eum Ulysses opprobriis increpat. Ergo nihil recte Welckerus in Addit. ad Trilog. p. 170. *Σύνδειπνον* addendum esse fabulis, quas Sophocles e Cypriis desumpsit (v. Henrichsen p. 87.), certissimum est; num Odysseae illud *νεῖκος* idem sit, dubitare licet. Potuit Stasinus rem paullo aliter conformare, ut minus agnoscerent posteriores. Cfr. Athen. I. p. 17 E. [His quae opposuit Welckerus in Zimmerm. Diar. anno 1834. p. 49. et de cyclo p. 288—292. scite eleganterque disputata, atque ad intelligendas Homeri aemulorumque rationes gravissima, ea lubens gaudensque amplector.]

*) O. Muellerus in Zimmerm. Diar. anno 1835. fasc. XII. p. 1174. Der Dichter der Ilias hat aus dem Troischen Sagenkreise grade nicht das äufserlich wichtigste

expromere humanitatem potuit. Ergo non Achillem laudare voluit, neque ipsum solum inter Achillem et Agamemnonem dissidium narrare, sed tempus belli, quod iram habuit, *) ab antiquiore aliquo poeta fortasse minus concinne narratum suâ virtute conformatum extulit. Qui num minoris ambitus Iliadem primum effinxerit, aut quos, si forte, locos posteriorum sedulitas genuino carmini inseruerit, alius quaestionis est excutere; verum aliam plane descriptionem nemo certe extundet. Quantum Iliadis tempus ceteris, quae ipsius fuerunt belli, antecellit, tantum Odysseae argumentum, et plus etiam, communibus ceterorum heroum reditibus praestat. Haec duo carmina postquam aliquantum temporis exstabant — quanquam non tantum distant, quantum vulgo putantur —: alii poetae Homerum aemulantes de reliquis temporibus meliora antiquioribus carmina composuerunt. Stasinus in Cypriis primum, Arctinus in Aethiopide tertium, in Perside Ilii quartum fecit, aptiore usus descriptione quam Lesches, qui idem in Iliade parva

---

Faktum erlesen, welches in der mythischen Erzählung am meisten interessirt, aber sicherlich das Ereignifs, welches das sittliche Gefühl am mächtigsten ergreift. — Der Zwist des Haupthelden mit dem obersten Heerführer und dadurch mit dem ganzen Heere, die allmälich steigende Bedrängnifs dieses Heers, die Sendung und der Untergang des Freundes, die Wuth gegen den Feind, der den Freund erlegt, und dessen Überwindung, die Leichenfeier des Freundes erwecken in der Art, wie der Dichter sie auffafst, eine Reihe sittlicher Gefühle und Stimmungen, auf deren richtiger Folge und Verschmelzung das wahre innere Leben der Ilias beruht, in welchem alle Haupttheile derselben untrennbar verbunden sind.]

*) Hermann. de interpol. Homeri Op. V. 58. „Etenim quod Nitzschius ait, argumentum Iliadis esse irae tempora et discrimina, id vereor ut aliud sit, quam quod in Heracleidum et Theseidum scriptoribus ab Aristotele est vituperatum“ rel. His quid respondeam, satis in promptu. Neque enim parum differre videtur inter Thesei Herculisve expeditiones varias, quibus nihil subest unum nisi quod actor idem fuit, et Iliadis actionem s. belli ea tempora, quae per irae illius consectaria transiguntur. Utiliter autem nunc conf. quum Ulrici. Hist. poes. Gr. I. p. 184 et 262. tum O. Muelleri disputationem. V. supra.]

tractavit; denique Hagias Troezenius quintum complexus est. E quibus Arctinum et Stasinum unius ejusdemque aetatis, Hagiam Troezenium illis supparem fuisse arbitramur, Leschem vero ceteris omnibus haud paullo minorem. De his igitur ut vere recteque statuere discamus, singula excutienda et cum alteris componenda sunt. Prima autem disputatio sit de Nostis s. eo carmine, quod Hagiae Troezenio a Proclo inscriptum reditus heroum, Minervae irâ infelices, habuit. De quo quum ea adhuc obtinuerit opinio, ut disjectorum heroum casus ipsâ partium diversarum disjunctione referre ac sequi videretur: intentior quaestio non eam quidem congruentiam demonstrare poterit, quam postea in Arctini carminibus deprehende- 31
mus, a qua ipsum Nostorum argumentum non minus abhorret quam Cypriorum, at aliquanto tamen plus reperietur, quam incuriosis adhuc inesse visum est.

VI.

De Hagiae Troezenii Nostis disseritur.

Quum multa sint in Homericis antiquiorum carminum indicia, tum antiquius, quod de reditibus fuerit, carmen Odyssea manifestissime demonstrat, cujus in versibus γ, 135 et 136. Grotefendii subtilitas ipsum exordium antiquiorum *Νόστων* agnosci posse vidit hoc:

Μῆνιν ἄειδε, θεά, Γλαυκώπιδος ὀβριμοπάτρης,
ἥτ᾽ ἔριν Ἀτρείδῃσι μετ᾽ ἀμφοτέροισιν ἔθηκεν.

Simili initio usum esse Hagiam consentaneum est. *) Nam illud quidem certissimum est, Minervae iram carmini isti ita quasi praefuisse, ut pri-

---

*) Apud Proclum hoc initium est: *Ἀθηνᾶ Ἀγαμέμνονα καὶ Μενέλαον εἰς ἔριν καθίστησι περὶ τȣ̃ ἐκπλȣ̃.* [Welcker. de cyclo p. 297. exordium probabilius in vv. α, 326 seq. reperiri putat posse cll. γ, 132. cui suspicioni quum non multum repugnem, rationem, qua nostrae refragatur, non probo. In exordiis enim non omnis carminis pangendi indoles, sed principia quaedam posita esse videntur. Ut Iliadem taceam, Thebaidis exordium, *Ἄργος ἄειδε, θεὰ, πολυδίψιον, ἔνθεν ἄνακτες,* nonne ea extulit ipsa quae ad narrandum prima fuerunt?]

mum heroas Atridarum dissidio diviserit, deinde, aliis periculum imminens celeri navigatione effugientibus, aliis mare infestum terrestri evitantibus itinere, in Ajacem Locrensem maxime et Agamemnonem cum aliis quibusdam ingruerit. Verum omnem *Νόστων* complexionem accuratius cognoscere cupientibus multae suboriuntur dubitationes. Quas antequam paullo diligentius componere studeamus, quam in Meletem. Fasc. 1. p. 117 factum est, etiam de Ulyssis reditu a ceteris sejuncto et Odysseae ad Nostos ra-
32 tionibus breviter sed diserte videtur profitendum. Hagiam Troezenium sibi tantum sumpsisse, ut Ulyssis erroribus repetendis cum Homero contenderet, adeo ab universa aemulorum istorum ratione alienum est, ut vel testem locupletissimum aegre essemus audituri, si aliquis exsisteret, qui nunc nullus est. Neque ille omnino Ulyssem aliter carmini implicuit, nisi quod eum (sub discessum Agamemnonis, quocum remanserat, Od. *γ*. 162 sq.) a Trojae littore Ismarum iter flexisse narravit, ubi eum Neoptolemus offenderit. *) Quodsi in Hagiae Nostis locus Ulyssi praeterea nullus fuit, in antiquioribus ejus reditum cum ceteris conjunctum fuisse non magis pro-

---

*) Eustathium, quum ad Od. p. 1796. scriberet *ὁ δὲ τοὺς Νόστους ποιήσας Κολοφώνιος Τηλέμαχον μέν φησι τὴν Κίρκην ὕστερον γῆμαι, Τηλέγονον δὲ τὸν ἐκ Κίρκης ἀντιγῆμαι Πηνελόπην*, per errorem, quae Proclo teste in Telegonia Eugammonis fuerunt, tanquam in Nostis tradita retulisse, Muellerus de cyclo p. 134. judicavit. Ac recte ille profecto, quod ista in Nostis fuisse negavit. Verum quum Eustathius Colophonium aliquem narret, ne mera somnia loquutus esse videatur, ego quidem alium quendam subesse suspicor, qui *Νόστους* soluta oratione ita persequutus sit, ut Ulyssis reditum, ac deinceps e Telegonia ejus fata extrema filiorumque connubia simul complecteretur. Quidni enim Anticlidi Atheniensi, qui septuaginta octo amplius *Νόστων* libros scripserat (Athen. IX. 384 D.), Lysimacho Alexandrino, aliisque id genus etiam Colophonius nescio quis accedat? praesertim quum Eustath. eodem l. Lysimachum ipse citet. [Cfr. Welck. de cyclo p. 273. Subtilius rem quaesivit O. Mueller. in Zimmerm. Diar. anno 1835. fasc. XII. p. 1167 sqq. In cautiorem partem disputavit Muetzell. de emendat. Theog. p. 180. sed quod Suidae hoc tribuit, ut plures poetas Graecorum reditum celebrasse putaret, id temere fecit. In commentatione hujus fascic. quarta eam demonstrabimus probabilitatem, qua quis Colophonium Nostorum poetam alterum aliquem statuat.]

babile est. Omnia enim ita nobis persuadent, ut eum circa Ismarum com-
moratum esse putemus, quum ceterorum postremos tempestas a Minerva
immissa attigerit. Neque quisquam e Mercurii, multa callide tegentis,
sermone (Od. ε. 108 sq.) aliam, quae antiquior fuerit, fabulae formam ef-
finxerit. Sed isto, quo dixi, modo jam ante Homerum Ulyssem, Minervae 33
carissimum, ab Agamemnone et Ajace sejunctum esse putamus. De ejus
ipsius autem erroribus num aliquod aut quale fuerit carmen Odysseâ anti-
quius, frustra conjectando assequi annitimur. Tantum videmus, in Apologo,
quem Homerus ex suae Odysseae descriptione ab ipso narrari fecerit
Ulysse, alius narrandi formae ne minimum quidem superesse vestigium.
Sequitur, ut interpositâ de fontibus Nostorum admonitione ad ipsum Hagiae
carmen revertamur. Arctinus, quod infra demonstrabitur, de reditu victo-
rum in fine Persidis suae breviter adjecerat. Ex quo conjecerit aliquis,
peculiare de heroum reditibus carmen ante Hagiam omnino nullum fuisse.
Sed hoc mihi, quum Odysseae mentiones considero, obtineri non posse vi-
detur. Neque minus dubium illud est, num praeterea de singulorum quo-
rundam itineribus unum alterumque fuerit carmen, ex quo Hagias de
Neoptolemo, si forte, aut de Calchante fusius dicere potuerit. De certa-
mine, quod Calchas apud Colophonios cum Mopso vate inierit, mentio
erat in Hesiodeis, quae Strabo legit XIV. 642. s. 178. Verum nihil hoc
ad nostram caussam. Neque, si diversissimae civitates tum Aeolidis aut
Ioniae, tum Italiae, tum Cretae, vel Agamemnonem, vel Philoctetam, vel
Diomedem, vel Menestheum, vel adeo Pylios Nestoris suos conditores
ferebant, id magis mihi persuadet, ut vetera carmina de novis horum erro-
ribus narrasse credam,*) quam e fabulis, quae varia loca Italiae ab Ulys-
sis sociis condita perhibent, conjecturam carminis epici capio, quod Ulyssis

*) O. Muell. l. l. p. 1165 sqq. de aliis carminibus ne ipse quidem cogitans, ex eo, quod in ipsis Hagiae Nostis de illis quidem, quos Italicae coloniae conditores sibi exstitisse ferebant, ejusmodi nulla est mentio, neque hi alio loco habentur atque in Odyssea, sed quum Neoptolemus in Molossiam potius quam in Phthiam tum Calchas Colophonem deducuntur, aetatis, qua carmen scriptum sit, aliquam notam duci posse arbitratur. Cfr. etiam Welcker. de cyclo p. 276 squ.]

errores aliter exornaverit. Si a Stesichoro discesseris, de cuius Nostis e
Tzetza et Pseudo-Phalaride certius conjicimus, aliorum carminum nullum
34 usquam vestigium est, neque antiquiorum neque recentiorum quam Hagiae
Nosti fuerunt: sed unum fuisse carmen *Νόστων* antiquius, quo Hagias usus
sit, propterea sumimus, quod Hagias in suo carmine eorundem heroum re-
ditus extulit, de quibus in Odyssea mentio est, alia autem ratio, qua illum
consensum rectius explicemus, suppetit nulla. Nam neque Hagiam ea solum
persequutum esse credibile est, quae in Odysseâ breviter posita reperisset,
neque Homerum nihil nisi famam sequutum esse, nec denique priores
Odysseae libros post Hagiam demum esse confictos. Iam de *Νόστων* com-
plexione probabiliter disputandum est, quam Procli brevitas ita obscuravit,
ut conjecturis aliquid tribuere necessarium videatur. Ac primum certissi-
mum quidem est, si in ullum, in hoc carmen quadrasse Aristotelis illam
notationem, quâ cetera *περὶ ἕνα χρόνον καὶ μίαν πρᾶξιν πολυμερῆ* composita
esse diceret. Rursus tamen jam dudum intelligimus, longissime a vero eum
aberrare, si quis nullo adhibito neque temperamento neque vinculo Nosto-
rum tot partes diversas et aequales fuisse putet, quot heroes diverso itinere
diversâque fortunâ reditum tentassent. Dissociat dea Atridarum animos,
quorum Agamemno non ante vela danda putat, quam illam (propter abso-
lutum Ajacem exacerbatam) placarint; Menelaus iter maturat. Cum Mene-
lao Nestor et Diomedes sentiunt, quorum uterque cito et bene domum per-
latus imminentem a dea tempestatem effugit; ut de his poeta brevissime
perorare potuerit. Quae res ita comparata est, ut illud dissidium prope ab
ipsâ deâ in horum salutem institutum intentumque putes. *) Proxime post
istos Menelaus iter ingressus tempestate in Aegyptum actus est: quem non
magis tum longâ narratione circum extremas oras ductum esse arbitror, sed
35 paucis eo dimissum, unde in fine carminis repetendus erat. Ne illa qui-
dem, quae in Odyssea de Menelai gubernatore in Sunio ab eo sepulto

*) [O. Muell. l. l. p. 1165. Hagiam ait aliter atque Arctinum in Perside Minervam non fere propter absolutum Ajacem irascentem habuisse, sed composuisse se totum ad Hom. Od. γ, 133—200. Atridarum autem dissidio illud maxime esse effectum, ut Agamemno omni, etiam fratris, ope destitutus domum veniret.]

leguntur (γ, 278 sqq.), in Nostis fuisse videntur (v. Paus. X, 25, 2). Illis
ita summotis Calchas cum Leonteo et Polypoeta (mare etiam ipsi reformi-
dantes) terrestri itinere Colophonem deducebantur, ubi Calchas (non Tire-
sias) mortuus et sepultus est. *) Quem locum si ab Hagia non nimis exor-
natum esse judico, illud sequor, quod adhuc omnia eo contineri video, ut,
qui Menelai consilium amplexi essent, ab alteris sejungerentur. Nunc enim
demum ad graviorem propriamque partem progrediebatur carmen. Aga-
memno, quique cum eo remanserant, Ajax Locrensis, Ulysses, Neoptole-
mus, alii, perfecto sacrificio discessum parant. Sub ipsam profectionem
(quum defunctis sodalibus extremum valedicturi ad tumulos accessissent)
oblata Achillis umbra eos retinere studet, quae eventura sint praedicens.
Ab hoc inde loco quâ viâ et implicatione processerit carmen, divinare tan-
tummodo possumus. Neque tamen deest ratio a conjectandi temeritate satis
remota. Recte enim suspicabimur, Proclum mentionibus brevioribus omis-
sis eo quemque loco disertius posuisse, quo poeta pluribus de eo egisset:
deinde, quum eum notissimas quasque res paucissimis comprehendere,
transitiones vero omnino nullas demonstrare videamus, illud quoque recte
animadvertere videmur, Agamemnonis necem, ut ipso tempore sic carminis
serie sejunctam, in Procli excerptis cum Orestis ultione coaluisse. His
suspicionibus admissis, quas qui sperneret, maligne potius quam caute de
arte poetae statuere videretur, cursum habemus satis expeditum. Achillis
ista cohortatio parum valuit, nisi quod Neoptelemus, dum vehemens ille
Ajax nefarium caput deae poenis objicit, neque Agamemno procrastinan- 36
dum putat, dubitabundus subsistit, Ulysses vero satius habet, partis opibus
e Ciconibus aliquid praedae adjicere. Ita remanente Neoptolemo, diver-
tente Ulysse, ceteri, Ajax et Agamemno et si qui non nominati etiam tum
restabant, recto itinere versus Euboeam tenent. Iam ingruit tempestas et
Cepharearum rupium illa clades, quas Hagias quoque Graecis Nauplii dolo

*) [Multum a vero aberravi, vel potius multa non vidi, si vera sunt, quae inchoata quodammodo a Welckero de cyclo p. 285. O. Muellerus l. l. p. 1167 sequ. persequutus est. Cujus quum agnoscam subtilitatem, conjectationem cur sequi continuo non possim, in hujus fasciculi praef. expositum leges.]

infestiores reddidisse videtur; Nauplium enim in Nostis commemoratum praebet Apollod. II, 1. p. 87. Oppressit clades ista e nobilioribus unum Ajacem; ceteri quamvis jactati procellis suam quisque domum pervenerunt. Plurium hoc loco mentiones requirimus, velut Idomenei, Philoctetae (Odyss. γ, 190 sq. cll. δ, 496.) et Teucri, quanquam de hoc an nulla fuerit in Nostis memoria disertior, dubitare licet. Sed, etiamsi singulos multos in patriam poeta deduxerit, eminebat sine dubio Agamemno. Ad cujus caedem narrandam potuit quidem Hagias etiam a Nauplii simultate proficere, si jam tum fuit fabula, quâ uxorum relictarum fidem maritis suspectandis sollicitasse apud recentiores fertur. Quanquam neque id ipsum admodum credibile est, et Agamemnonis adventum, tametsi Nauplio nihil intercedente, Aegisthi facinus ultro sequebatur. Huic vero ipsi ut proximum locum assignemus, quanquam tacente Proclo, multa persuadent, quae postmodo disseremus. Nunc probabilitatis quodam jure sumimus, eum fuisse carminis decursum, ut Agamemno statim, toleratâ Iunonis ope tempestate domum delatus, in Aegisthi scelerataeque conjugis epulum illud funestum incurrerit. Et, si Homerum vel Nostos antiquiores sequebatur Hagias, Clytaemnestra quidem in Cassandram maxime pellicem saeviit (v. Od. λ, 421. coll. Quaest. Hom. Spec. I. p. 32. Pind. Pyth. XI, 30 (20). et Eur.
37 El. 1032). Neque dissimile est veri, in Nostis, non aliter quam in Odyss. α, 37. Jupiter refert, (agente maxime Junone) missum esse Mercurium, qui Aegisthum intentâ Orestis ultione a nefario consilio revocaret. Ita, quod sub finem carminis narrandum susceperat, commodo poeta loco praedixit. Denique trucidati Agamemnonis umbram vix mihi tempero quin a poeta ad inferos perductam suspicer; quae suspicio unde mihi subnata sit, infra docebo. Ab Agamemnonis nece (nisi a *Νεκυίᾳ* quadam) i. e. ab exitu ejus, qui Achillis vaticinium contempserat, carmen ad Neoptolemum rediit Trojae in orâ relictum. Hunc deliberantem, quo modo patris monitus exsequeretur, confirmavit Thetis, quae eum sedes patrias terrâ petere iussit. Itaque per Thraciam pergens quum viso in Maroneâ Ulysse viam persequeretur, nescio quo loco*) defunctum Phoenicem sepulcro condidit. Quo facto ad Peleum

*) [O. Muellerus Lycophronem adhibet, qui Cass. 417. ad Strymonem esse factum narrat.

pervenit, ab eoque agnitus est. (Hoc exstremum male Proclus his verbis narrat: αὐτὸς δὲ εἰς τοὺς Μολοσσοὺς ἀφικόμενος ἀναγνωρίζεται Πηλεῖ. Vix enim fando accepimus, Molossos ipsos e Phthiotide in Epirum demigrasse, neque aliud quidquam potest subesse, nisi error, quo ille Hagiae fabulam cum alterâ confuderit, quae est ap. Pind. Nem. VII, 37 (55) et Dissen. ad eum l.) Hac igitur, quae de Neoptolemo fuit, parte poeta occasum Agamemnonis ab Orestis ultione disjunxerat. Quod temporis explendi artificium — interfuerunt enim septem anni (Od. γ, 305.) — quamvis ad rei veritatem parum idoneum, ad poetae licentiam quodammodo supervacaneum sit: negari tamen non potest, auditorem ejusmodi intercapedine adhibitâ facilius se pati ad tempus aliquot annis posterius traduci, quam in narratione continua.
Adde, quod iter Neoptolemi sane longum erat; adde denique, quod a Neo- 38
ptolemo etiam ad Orestem Menelaumque transitus aliquis fuisse videtur. Nam primum, quod in Odyssea δ, 5 sq. breviter positum apud Euripidem in Andromacha aliosque exornatum legimus, Menelaum filiam jam in Troade Neoptolemo despondisse, id mirarer nisi Hagias in aliquam nectendarum rerum viam conformasset; nam fuisse in Nostis istas nuptias postmodo probabile faciam. Deinde Orestes ipse et Pytho succurrunt; Pythii enim ad aras Neoptolemus, quum deo praedae partem offerret (Pind. Nem. VII, 41 s. 60), cum illo de ultione deliberante congredi potuit; Orestem autem e Phocide cum Pylade Mycenas venisse, et Proclus e Nostis refert, et jam Homerus audierat, si quidem verissime Zenodotus Od. γ, 307. ἄψ ἀπὸ Φωκήων scripsisse videtur. *) Quodsi Hagias de Oreste et Pylade, quo modo consilium et inierint et patraverint, fusius debuit exponere: Procli illa breviloquentia, qua Neoptolemi reditu narrato tribus verbis ultionem ponit, ea nos non potest deterrere, ne expeditiorem aliquem a Neoptolemo ad Orestem progressum fuisse putemus. Sequebatur igitur caedes Aegisthi et Clytaemnestrae, quibus deinceps Orestes exsequias fecit. Quibus quo die Orestes operabatur, eodem Menelaus tandem in patriam pervenit (Od. γ, 309—11). In hunc Menelai adventum exeunt Procli excerpta, poeta vero fortasse Neoptolemi et Hermionae nuptias adjecerat, quas cycli collectores

*) Cfr. O. Muell. ad Aesch. Eumen. p. 132.]

omiserunt propterea, quod, non in actionem ipsam, at in tempus Odysseae inciderunt. Statuo ita e Schol, ad Odyss. δ, 12. quod quum Megapenthis mentionem in Nostis fuisse testetur, nescio an de ejus et Hermionae nuptialibus aliquanto certius liceat suspicari.

VII.

In Nostis Necyiam fuisse demonstratur.

39 Expositâ Nostorum descriptione reliquum est, ut primum rationes expromam, cur Agamemnonis necem jam ante Neoptolemi reditum statim post Ajacis interitum narratam fuisse sumpserim. Deinde iis, quae Pausanias de inferis in Nostis fuisse scribit, et aliis ab eodem commemoratis locum quaeram. Ergo praeter eam probabilitatem, quam e temporum diversitate et totius carminis complexione jam supra duxi, Aegisthi facinus his usus documentis constitui. Proclus, si ipsa ejus verba teneas, occisum esse Agamemnonem non narrat, sed in ultionis mentione significat. Quare ita censeo, eum brevitati hoc dedisse, ut rem, quae ex carminis progressu bis ponenda erat, semel et eo loco posuerit, ubi prioris facinoris poenae incidissent. Magna haec excerptoris culpa fuisset, sicut est, si complexionem carminis adumbrare voluisset; at ejus rei nulla fuit cura. Iam porro exploratissimum habemus, Neoptolemo et Ulysse exceptis ceteros, quos dea sacrificio placanda detinuisset, tempestatem illam omnes subiisse; neque igitur quisquam eam fingere seriem potest, ut primum Ajacem ad Capharea saxa interiisse, deinde Neoptolemum rediisse, tum denique Agamemnonem solum aut cum paucis a Trojae littore navem solvisse dicat. Quod si concesserint lectores, de reliquo reputent, velim, quam praeter omnem necessitatem inepte fecisset Hagias, si primum Agamemnonem et reliquos illos cum Ajace ad Caphareas deduxisset, deinde ab Ajacis interitu ceteris omissis ad Neoptolemum praevertisset, quem ab ipsâ Trojâ in Thraciam perrexisse, praetereuntis ille cum Ulysse congressus docet. Sed vereor, ne
40 putide atque ita disserere videar, quasi non circumspectis sed tardioribus satisfaciendum putarem; neque fecissem, nisi mihi in contentione quâdam versanti curandum esset, ut bonam caussam ab omni audaciâ sejungerem.

Minus vero etiam poenitebit cautionis in alterâ quaestione, quâ de Pausaniae citationibus videndum est. Supra ac saepius professus sum, me habere, cur *Νεκυίαν* aliquam Nostis intextam fuisse putarem. Primum enim convertit hic Pausaniae locus, X, 28, 4. *ἡ δὲ Ὁμήρȣ ποίησις ἐς Ὀδυσσέα, καὶ ἡ Μινυάς τε καλȣμένη, καὶ οἱ Νόστοι (μνήμη γὰρ δὴ ἐν ταύταις καὶ Ἅιδȣ καὶ τῶν ἐκεῖ δειμάτων ἐστίν) ἴσασιν ȣ̓δένα Εὐρύνομον δαίμονα.* Quum nequaquam credibile sit, Stesichori h. l. Nostos dici, sed alteros epicos: illud potius quaerimus, quis, quamque luculentus rebus infernis in Nostis fuerit locus. Haud exiguum fuisse, e collatorum carminum exemplis non minus quam e terriculamentorum illorum citatione intelligimus. Neque enim Odyssea solum, quam novimus, sed etiam Minyas plus quam leviter Orcum attigit. Habuit illa Thamyrae et Amphionis supplicia inferna (Paus. IV, 33, 7. IX, 5, 4.), habuit Charonem et Theseum cum Pirithoo illius cymbam quaerentem (X, 28, 1.), habuit denique Meleagri mortem (X, 31, 2.). Quin ipsum carminis nomen Lobeckius quidem in Aglaoph. p. 360. ad Minyae filias, propter deorum contemptum aeterna supplicia meritas, retulit. *) Cum ejusmodi igitur carminibus si Nostos Pausanias comparavit; si idem in iisdem, ut qui ceteroquin Orci monstra uberius persequerentur, Eurynomum daemonem requisivit: haud sane tenuis ea potuit esse mentio. Ab hujus igitur testimonii fide profectus admodum probabile esse sensi, Hagiam Nostos suos ad Odysseae quandam similitudinem *Νεκυίᾳ* aliquâ ornasse. Multas 41
enim citationes, quibus alium locum frustra quaerebam, *Νεκυία* illa denique, quam Homericae aliquatenus similem informabam, bene ac commode recipere visa est. Dico autem has. Pausan. X, 30, 2. *ὑπὲρ τȣ́τȣς Μαῖρά ἐστιν ἐπὶ πέτρᾳ καθεζομένη· περὶ δὲ αὐτῆς πεποιημένα ἐστὶν ἐν Νόστοις, ἀπελθεῖν μὲν παρθένον ἔτι ἐξ ἀνθρώπων, θυγατέρα δὲ αὐτὴν εἶναι Προίτȣ τȣ͂ Θερσάνδρȣ, τὸν δὲ εἶναι Σισύφου.* Id. X, 29, 2. *ἔστι δὲ πεποιημένα ἐν Νόστοις Μινύȣ μὲν τὴν Κλυμένην θυγατέρα εἶναι, γήμασθαι δὲ αὐτὴν Κεφάλῳ τῷ Δηΐονος καὶ γενέσθαι*

---

*) [Aliquanto hanc rem melius perspicere poterimus, quum Lobeckius poesis mysticae reliquias a se collectas et illustratas ediderit. Adhuc multa multis impune conjectare licet. V. Welcker. de cyclo p. 253—55. cll. O. Muell. in Zimmerm. Diar. p. 1171.]

σφίσιν Ἴφικλον παῖδα. Haec Pausanias in explicatione *Νεκυίας*, quam Polygnotus in lesche Delphica pinxerat. Sed addendus videtur tertius ejusdem locus, in quo quod non Nostos sed ipsum poetam Hegiam Troezenium dictum citat, id similiter facit atque in Minyadis laudationibus, in quarum primâ auctorem ipsum probabiliter ponit, in reliquis vero solum carmen. 1, 2, 1. *ταύτην τὴν Ἀντιόπην Πίνδαρος μέν φησιν ὑπὸ Πειρίθȣ καὶ Θησέως ἁρπασθῆναι, Τροιζηνίῳ δὲ Ἡγίᾳ τοιάδε ἐς αὐτὴν πεποίηται· Ἡρακλέα Θεμίσκυραν πολιορκȣ̃ντα τὴν ἐπὶ Θερμώδοντι ἑλεῖν μὴ δύνασθαι, Θησέως δὲ ἐρασθεῖσαν Ἀντιόπην (στρατεῦσαι γὰρ ἅμα Ἡρακλεῖ καὶ Θησέα) παραδȣ̃ναι τὸ χωρίον.* His Maerae, Clymenae et Antiopae elogiis quartum accedit Medeae, quam versiculi tres a schol. ad Aristoph. Equit. 1318. et in argum. Medeae Eurip. e Nostis allati Aesoni robur juvenile reparasse narrant. Videmus igitur quattuor feminarum, et earum quidem, quarum nulla neque ad tempus Nostorum neque ad ullum ex heroibus illis pertinuit, mentiones disertissimas, non quales passim in quovis carmine incidere possunt, sed quales in catalogo aliquo heroinarum
42 exspectes. Quod eas omnes uni illi, quod Hagiae fertur, carmini attribuimus, id nemo reprehendet, qui spretâ conjectandi levitate citationum fidem revereatur, quae aut carmen *τȣ̀ς Νόστȣς*, aut poetam *τὸν τȣ̀ς Νόστȣς ποιήσαντα*, simpliciter ponunt. Non plura praestare testimoniis possumus carmina illo nomine vocitatá, quam unum epicum Hagiae vel auctoris incerti, alterum Stesichori lyricum. Nam de Eumolpo illo ap. schol. Pindari ad Ol. XIII, 31. omnia incerta, praeter hoc unum, *νόστον τῶν Ἑλλήνων* non posse alium intelligi nisi eorum, qui Trojam everterint. *)

Ita quum citationes istas eo loco habere videamur, quo fides suaserit: alterum quoque firmiter tenemus, ut ipsum Nostorum carmen non alios reditus narrasse credamus nisi eorum, qui Trojam fumantem reliquissent, neque summam carminis de alio fuisse tempore, nisi quod in descriptione nostra Trojanarum rerum quintum posuimus. Itaque feminarum illis quasi

---

*) [Welck. de cyclo p. 274. pro Eumolpo Eumelum ponendum esse, qui unus ex pluribus Nostorum auctor habitus sit a quibusdam, assumpta in fidem nominis notatione confirmat. Ego Eumelum poetis historicis potius quam epicis aggregaveram. Parum diligenter de Nostorum poetis Ulrici Hist. poet. gr. I. p. 406.]

tabulis vix alius reperiri locus potest nisi in episodio. Ac mihi quidem in
Νεκυίᾳ expositas fuisse animus divinabat. Quid enim? num fortunae aliquo
ludibrio factum est, ut Maeram et Clymenam, quas Ulysses in suo heroi-
narum recensu leviter aggregat (326.), in Nostis sedulo exornatas legamus?*)
Accedit quod, Maeram praematuro obitu decessisse, illo quo sumimus loco
narratum optime habet. Antiopam Hagias non Thebanam posuit, quam Ho- 43
merus, sed aliam; et Medeam quoque de suo addidit. Sat scio, nihil me
certi conficere; et fuit fortasse satius, in eo acquiescere, ut et feminas
istas et res infernas ad episodia rejiciendas dicerem. Verum ne lusisse
quidem poenitebit,**) si cyclicorum existimatores iniquiores tantum iis
concesserint, ut meis commentis elegantiora fingere potuisse videantur.
Ergo haud quidem obliviscar unquam, alterum, in Nostis Orci ejusque
monstrorum mentionem fuisse, Pausaniae testimonio sciri, alterum, femina-
rum laudationes ad eundem locum pertinere, colligi tantum posse: at dicam
tamen, quid ultra conjecerim. Quum Procli omissionem aliquam e Pausa-
niae verbis cognovissem, de ejus excerptis nihil amplius laborabam, sed de
illa Homeri imitatione, qua Hagias quoque regni inferni claustra reclusisse
incolasque monstrasse videbatur, in universum sic statuebam. In ipsam
Odysseae actionem eum non incurrisse, neque Ulyssis errores denuo
tractasse, persuasissimum habebam; neque igitur alteram quandam Ulyssis

---

*) Si Clemens Alex. Str. VI. p. 622. Augiae s. Hagiae locum integrum exhibuisset, cujus hunc versiculum affert: *δῶρα γὰρ ἀνθρώπων νόον ἤπαφεν ἠδὲ καὶ ἔργα*, fortasse tertiam quoque Eriphylen ab Hagia commemoratam sciremus. Cfr. Valcken. Diatr. p. 151. [Welck. p. 282. et O. Muell. p. 1169. sine ulla dubitatione heroinas istas omnes in *νεκυίαν* conferunt.]

**) [Miror vehementer, Welckerum in praef. p. VII. meum illud *lusisse* et quod infra *hariolationes* istas appello in sui quandam notationem positum accepisse. Ego illud quidem firmiter teneo et constanter sequor, ut in omni ejusmodi disputatione ea quae ex conjectura probabiliter ducta sunt accurate distinguam ab alteris quae testata habemus, temperandumque putem a copiosiore exaedificatione eorum, quae ab aliis aliter informari possunt, id quod Welckerus non raro parum cavit; sed istis verbis id ipsum tantummodo dicere volui, me conjectura uti, eique tantum tribuere quantum par esset.]

Necyiomantiam aut altera ejusdem cum heroinis colloquia fingebam. Sed, quemadmodum Arctinum in Aethiopide, quum in similes personas vel res incidisset, plura ad Iliadis exempla effinxisse, et Stasinum in Cypriis sociorum Priami catalogum retulisse videbam, sic Hagiam post Odysseae *Νεκυίαν* suam aliquam conformasse putabam. Rursus autem, quominus quae Homerus Ulyssi tribuerat, ab Hagia ad Menelaum translata esse divinarem, Strabonis impediebat silentium, qui quum plurimas antiquiorum de Menelai erroribus quaestiones, atque eorum etiam, qui datâ eos operâ indagavissent, legisse reperiatur, tamen ne verbulum quidem edit, quod Homeri narratio-
44 nem excedat. Menelao rejecto primo in Aegisthum et Clytaemnestram incideram. Eos a Mercurio in Orcum deductos esse, satis ad conjectandum speciosum erat. Nam in quem locum Aegisthus demitteretur, eum attinuerat sane suis monstris exornare; Clytaemnestra vero convenerat heroinas. Ac perstitissem in hac conjecturâ, nisi altera illa quae in Odyssea legitur *Νεκυία* animum alio vocasset. Eam interpolatione ascitam et e carmine quidem alio esse confictam, mihi jam dudum alte insederat. Neque tamen ex Nostis Hagiae Achillis illum sermonem repetebam (v. ω, 24—34.) aut ex Aethiopide Arctini, quae Achillis exsequias habebat, alterum Agamemnonis; sed interpolatorem a Nostis antiquioribus profecisse putabam, ad eosdem vero Hagiam sua quodammodo composuisse. Potest prior suspicio, ut interpolator ille Hagiae Nostis usus esse videatur, ab aliis magis probari: ego illud manifesto apparere arbitrabar, Agamemnonis et Achillis sermones neutiquam cuilibet tempori aptos, tum forte habitos posse videri, sed totum locum, qui a v. 15. usque ad 97. pertineret, ita esse comparatum, ut Agamemnonem tum primum ad inferos pervenire primumque cum Achille congredi videremus. Hinc illud est, quod Agamemno, stipatus agmine eorum, qui simul cum ipso Aegisthi dolo occubuerunt, ad Achillem ejusque amicos accedit; hinc etiam, quod Achilles magnificam, quam de illo habuissent, opinionem incassum cecidisse conqueritur, longeque illi melius fuisse dicit, si ad Trojam fatum explevisset; hinc denique, quod invicem Agamemno, quanta de illius corpore pugna fuerit, quamque dignis eum extulerint exsequiis, longa narratione persequitur: quae omnia illi inepte tum demum finguntur esse loquuti. Si paucissima mutaveris, ipsum, quem subesse dixi,

adventum primum disertis verbis expressum leges. Parum scite hunc lo- 45
cum in suos usus interpolator ascivit. Qui quod Amphimedontem ab Aga-
memnone appellari voluit, hoc mihi sequutus videtur, ut comparatio illa
Clytaemnestrae et Penelopae, Ulyssis et Agamemnonis, quae per totum
quodammodo carmen pertinet, in fine quoque efferretur (v. ω, 192—202.).
Ex hoc igitur loco mihi subnata est suspicio, eam veterem fuisse Nostorum
formam, quam in suo carmine Hagias quoque tenuerit, ut Agamemnonis
umbra in Orcum et in conspectum Achillis perduceretur. Commodus vi-
debatur et gravis ad carminis sententiam Agamemnonis congressus cum eo,
quem fatales reditus in tumulo vaticinantem nihil ille audiisset; neque
illud puto suspicioni meae obstare, quod Hagiae aetas (sic enim Aethiopis
testatur) Achillem jam heroem divinisque honoribus consecratum novit. *)
Ceterum ipse video, heroinas illas, quas in eâdem Necyiâ apparuisse sump-
simus, in ejusmodi qualem modo adumbravi Agamemnonis deductione minus
quasi obvias haberi, quam si Clytaemnestra cum Aegistho descendens iis
ipsis aggregabatur; quanquam in tali Necyiâ, qualis Odysseae est altera,
certe sanguinis potu aliisve machinis ad citandos mortuos opus non erat. 46
Sed praestat omnino jam finem imponere hariolationibus: quarum si alius
nullus, is certe usus erit, ut lectores commoneantur, quam multi loci car-
minis quamque bene Necyiam recipere potuerint; ut nequaquam necesse sit
eam ad Ulyssem referre. [Ac nuperrime locum illi quam in Nostis fuisse
sumimus Necyiae alium Welckerus, alium O. Muellerus assignarunt, quo-
rum hariolationibus quid mea praestet, in praefatione hujus fasc. exposui.]

---

*) Confero Herculem, qualem Odyssea in loco suppositicio λ, 602. (cfr. Hes. Th. 950.) exhibet. Praeterea quum Arctini, Stasini et Hagiae aetas ea fuisse videatur, quae heroum consecrationem, in Odysseae locis quibusdam varie temperatam (cfr. δ. 561 sqq. λ, 300 sqq.), sensim ita effinxerit, ut in Hesiodi Op. 165 sqq. factum videmus: tamen exempla praeter Achillem, Memnonem et Iphigeniam, nisi quis Penelopam et Telemachum a Circe divinitate donatos addere velit, nulla possumus e cyclicis afferre. Parum igitur constat, quantum ejus rei lyrici (v. Pind. Nem. X, 12. et Ibycum ap. ej. schol.) et tragici (Eurip. Or. 1631. 1683. Hel. 1666. 1676. Androm. 1253.) epicis illis debeant.

VIII.

Arctini Ilii Persis et *Leschis Ilias parva* inter se comparantur.

Postquam carminis, quod de reditu victorum s. quinto Trojanarum rerum tempore fuit, compositionem, gradus et transitus, ornamenta denique quaedam persequuti sumus, etiam eos, qui me probabilitatibus nimium tribuisse putent, hoc tamen concessuros esse spero, Hagiam non annalium more narrationes priorum continuasse neque nulla arte partes toti attemperasse, sed reditus infaustos eo carmine esse complexum, quod et caussam divinam, et sententiam aliquam ab humanitatis sensu repetitam, et denique concinnitatis tantum haberet, quantum argumenti iniquitas admitteret. Jam ad ea carmina veniendum est, quae Arctinus ejusque aemulus Lesches de quarto tempore s. de expugnandae urbis condicione composuerunt. Eorum dispar sane ratio fuit; neque enim eodem usi sunt initio. Sed antequam alterum carmen cum altero committamus, propter impeditam rei rationem id ipsum demonstrandum est, fuisse duo de eadem Trojanarum rerum parte carmina diversorum auctorum. Id quod his conficitur argumentis. Aristoteles carmen, quod Iliadem parvam et ipse et Proclus appellat, per fabularum illum recensum ultra Procli excerpta usque ad Graecorum discessum
47 perducit; Pausanias vero e quadam Ilii Perside Leschis plura affert, quae aut de nocturno proelio quo expugnata est Troja sunt omnia, aut ultra etiam pertinent *). Jam haec Ilii Persis, posset illa quidem eadem haberi,

---

*) Megetem ab Admeto, Lycomedem ab Agenore esse vulneratos (X, 25, 5. Bekk.); Admetum a Philocteta, Agenorem a Neoptolemo caesos. Ejusdem Neoptolemi manu cecidisse Astynoum et Eioneum, Coroebum vero non hujus, ut plerique narraverint, sed Diomedis, Axionem denique, Priami filium, Eurypyli (ib. 26, 4. 27, 1 et 2.). A Neoptolemo Priamum non ad ipsam Jovis aram sed hinc abstractum ad portam esse interfectum, Astyanactem vero nullo Graecorum jussu a turri dejectum (27, 2. 25, 9.). Eodem in proelio nocturno Helicaonem agnitum ab Ulysse et ex pugna eductum esse vivum (27, 7,). Denique captâ jam Troja Aethram, quum in castra Graecorum sponte venisset, agnitam esse a Thesei filiis. Quo facto alterum Demophoontem egisse apud Agamemnonem de illâ reddendâ. Hunc

ac cujus partem Arctino inscriptam Proclus exhibet. At enim, quominus
hanc suspicionem amplectamur, manifesta discrepantiae indicia obstant.
Procli enim Persis (etsi lacunam codicis non negligas) Astyanactem Ulys-
sis operâ interemptum narrat; ut illud consilium Graecorum subesse putes
(cfr. Quint. Sm. XIII, 251 sqq.), cujus a Lesche interpositam mentionem
negat Pausanias, quippe quum ille puerulum a Neoptolemo potius et pro-
priâ saevitiâ necatum tradiderit (cfr. locus ipse ap. Tzetzam ad Lyc. 1263.).
Alterum discrepantiae exemplum est in exitu Priami, quem Procli Persis
in ipsâ arâ, altera vero Pausaniae ad portam a Neoptolemo obtruncatum
habet. His ab Hermanno aliisque jam monstratis tertium quoddam accedit
hoc. Proclus tantum de Aethra: Demophoontem et Acamantem illam in- 48
venisse et secum abduxisse. Non nego hac annotandi brevitate magnam
tegi posse rei a poeta narratae varietatem: at, praesertim qui Quintum
Smyrnaeum comparaverit XIII, 496 sqq., nemo probabile ducet, in Arctini
Perside ea fuisse, quae Pausanias de Aethra in castra sponte progressâ
atque illâ actione prodit, quâ Demophoon aviam ab Agamemnone et Helenâ
redemerit. Haec igitur omnia manifesto arguunt, Procli s. Arctini illam
Persidem ab eo carmine, cujus Pausanias meminerit, diversam fuisse. [v.
Welck. de cyclo p. 216.] Porro autem Aristotelis, Procli, Pausaniae et
Tzetzae testimoniis in unam argumentationem recte digestis hoc consequi-
tur: Carmen, quod Proclus et Tzetzes Iliadis parvae nomine appellatum
Leschi tribuant auctori, ab Armorum judicio usque ad Graecorum disces-
sum pertinuisse. Hujus partem posteriorem Pausaniam peculiari Ilii Per-
sidis vocabulo cognitam habuisse, eamque ipsam eidem inscripsisse Leschi,
priorem vero, quae tum quidem separatim a multis legi solita sit, solam
Iliadis parvae appellatione significatam, certo poetae non asseruisse (v. Paus.
III, 26, 7. X, 26, 1.). Sed haud temere ad certiora progredi licet. Pri-
mum Iliadem parvam summa probabilitate ipsi Leschi assignamus. Deinde
quum neque ullo modo credibile sit, eundem poetam eandem belli Trojani

---

veniam dedisse, si Helena remiserit (25, 8.) Adde quod Aeneae conjugem Lesches Eurydicen dixerat 26, 1.

partem duobus carminibus diversâ quidem narratione esse persequutum, neque unquam veterum quisquam Iliadem parvam Arctino impertire voluerit: assumptis duobus testimoniis, quorum alterum Arctino alterum Iliadi parvae Palladii surrepti mentionem tribuit *), recte concludere videmur:
49 alterum carmen, Ilii Persidis nomine verius appellatum, quod Arctino cycli collector recte inscripserit, non ab eodem quidem a quo Iliadem parvam exordio esse progressum, sed posteriora certe, quae ipsius urbis expugnationem propius spectent, similiter omnia esse complexum atque Leschis Iliadem. Hac utriusque carminis et similitudine et dissimilitudine cognitâ bene denique intelligimus, quid Phanias ap. Clem. Alex. Strom. 1, 333. narraverit aut narrare debuerit. Qui quod *διημιλλῆσθαι τὸν Λέσχην Ἀρκτίνῳ, καὶ νενικηκέναι* dixit, eis verbis neutiquam hoc subest, quod Plehnio in Lesbiacis, Wuellnero de cyclo ep. p. 82. et C. Gu. Muellero p. 103. subesse visum, ut aequales illi evadant: imo ne cum rhapsodis quidem, qui Arctini Persidem pronunciarint, in certamine publico contendisse istis quidem verbis traditur Lesches. Sed quum carmine de Trojâ expugnatâ composito Arctini Persidem vicisse videretur, cum ipso concertasse victorque discessisse dictus est translate. *) Tali interpretatione aut levis erroris suspicione si repugnantiam testimo-

*) Arctinum v. ap. Dion. Hal. Antiqu. Rom. 1, 69. de Lesche vero est Hesychii testimonium s. v. *Διομήδειος ἀνάγκη*.

**) Non negavero, *ἅμιλλα* vocabulum cum suis plerumque poni de ipsâ praesentis concertationis actione: ita *εἰς ἅμιλλαν* Eupolis ap. Polluc. IX. c. 7. et Plut. Themist. 32. id. Sol. 29. *ἐφάμιλλος* in lege Lycurgi oratoris, de quo Boeckh. de Lenaeis p. 101., et ap. Athen. XV. p. 697 A. *ἅμιλλαι χορῶν, ἁμιλλᾶσθαι, διαμιλλᾶσθαι* ap. Plat. de leg. VIII. p. 833—35. et Plut. Them. 5. Sed neque usus translati exempla desunt (ap. Eurip. alios), et suspicio, quam isto in l. testimoniorum discrepantia et rei ratio magnopere commendant, metaphorae perperam intellectae, ad multas res a recentioribus traditas rectissime transfertur. [Vituperavit hanc interpretationem Welckerus de cyclo p. 271.; ego, qui interpretandi istam rationem etiamnunc videor pluribus testimoniis utiliter adhibuisse, Phaniam aut antiquioris auctoris verba parum intellexisse aut ipsum metaphora usum esse suspicabar. Praeterea rem potius quam auctorem quaerebam. V. O. Muell. p. 1164.]

niorum componere non liceret: Phaniae illud, etiamsi Eressum Lesbi patriam habuit, prorsus putarem rejiciendum. Nunc eum non disjunctas poetarum aetates confudisse, sed virtutes fortasse minus recte comparasse censeo. Quod quale sit, jam propter Aristotelem caussaeque nostrae rationes, quantum ejus fieri potest, cognoscere studeamus. Et statim ab alio Arctinus principio Persidem instituerat, atque posthac Lesches usus est. Ille enim quum alterum quod de praecedentibus fecit carmen, Aethiopidem, Ajacis nece et sepulturâ terminasset (v. Schol. Pind. ad Isthm. IV, 68.), subsequens profecto non ut Lesches ab armorum judicio aut Ajacis et Ulyssis lite exordiri potuit. *) Jam a quo exordio Arctinus suam Persidem inceperit, et uter utro aptiorem ad carminis condicionem introitum sumpsisse videatur, decernere quidem non possumus nisi probabiliter. Ajacis et Ulyssis contentio, prout varie conformabatur, rectius potuit aut Achillis exsequiis annecti, quod Arctino placuit, aut eam partem belli praeparare, in quâ Ulyssis virtus et prudentia enituit; quanquam in prioribus illis, quae ab armorum judicio usque ad interfectum a Neoptolemo Eurypylum pertinent, Ulyssis opera minus insignis est. Quam rationem Lesches mihi ita

*) [Non composui illam dubitationem quid esset, quod schol. Pindari ipsam necem Ajacis refert ex Aethiopide, schol. Iliad. ad λ, 515. insaniae Ajacis indicia ab altero Asclepiadarum deprehensa, id est ea quae nece priora fuerunt, e Perside tradit. Et O. Muell. quidem p. 1161. Aethiopidem a Perside incerto fine disiunctam fuisse putat. Atqui eo modo Persidis conformatio tota fluctuat. Minus etiam credibile est, quod Welckero placet (p. 294.), Aethiopidi Aj. necem extremum, eandem Persidi primum fuisse. Ego quidem quum versus in schol. Il. e Perside allatos considero, illud ὅς ῥα in versu ὅς ῥα καὶ Αἴαντος πρῶτος μάθε χωομένοιο ὄμματα rel. dubito an ita positum fuerit ut non descriptio medici in rem praesentem continuandamque narrationem verteretur, sed ipsi descriptioni aliquid adjiceretur. Quis enim fidem fecit, illud rectius statui quam hoc? Ajacem tum maxime furentem et a Podalirio deprehensum istis versibus narrari ita demum testatum haberemus, si pro ὅς ῥα καὶ legeretur ὅς ῥα τότ᾽; nunc totius loci a schol. exhibiti ratio multum potius obstare videtur. Fingant lectores, poetam in proximis de Ajace exardescente narrasse, et sentient quam incommodum accidat tam luculentum de Machaonis et Podalirii arte testimonium.]

ingressus esse videtur. Ipsum exordium, si quis conjecturae locus est, versibus illis duobus quos legimus:

Ἴλιον ἀείδω καὶ Δαρδανίην ἐΰπωλον,
ἧς πέρι πολλὰ πάθον Δαναοὶ θεράποντες Ἄρηος,

subjunctum habuit recensum eorum, qui tum jam ceciderant Graecorum fortissimi, similem fortasse Nestoris sermoni Odyss. *γ*, 109. et recentiorum epicorum locis, qui illum imitati esse putantur, Quinti et Tryphiodori (v. 17. et Wernickium p. 60 sq.). In quo si Achillis occasum extremo loco
51 deploraverat, consequens erat, ut singulari fato Ajacem, fortitudine proximum, quasi tractum ab illo caneret; quanquam neque ipsum Achillis exitum neque ludos funebres in Iliade parva exhibitos esse credibile est. Aut simplicius Lesches omnino ortam inter illos litem in quandam similitudinem exordii Iliadis vertit. Deinde ut Il. *α*, 254 sq. Nestor altercantes increpat, pari modo idem (quod e scholio ad Aristoph. Equit. 1065. certissime cognoscimus) in Iliade parva Graecis suasor exstitit, ut missis exploratoribus hostium scrutarentur judicia. *) Huic consilio adjutrix Minerva eo ipso tempore, quo exploratores moenibus accesserint, feminas Trojanas in murum duxisse non inepte putabitur. Ultra conjectando non progrediar;

---

*) Prope certum habeo, Arctinum in fine Aethiopidis litem de Minervae consilio diremptam ita narrasse, ut captivos Trojanos in praestantiae judicium adhibuerint: ita enim ex cyclicis perhibet schol. ad Odyss. *λ*, 547. sequutus est Quintus V, 157. Uterque igitur, et Arctinus et Lesches, illam controversiam virtutis decreto hostium existimatam tradiderunt, sed Lesches eam rem ita variavit, ut pro captivis feminas Trojanas poneret. Utra narratio versui Odysseae *λ*, 546. subsit *παῖδες δὲ Τρώων δίκασαν καὶ Παλλὰς Ἀθήνη*, decernere non licet; quanquam *παῖδας* filias interpretari probabilius est. Versum ab Aristarcho damnatum Homero laudi vertit Protesilaus in Philostr. Heroic. p. 720. Olear. 174. Boiss., respicit etiam Lucian. dial. mort. 29. Eo sublato in Homeri verbis eam rei rationem latere dicas, ut Thetis arma Achillis inter ipsa certaminum praemia posuerit; sed nescio an obstet verbum *δικαζόμενος*. Accedit quod Quintus certe illud post ludos factum tradit V, 125. Quare dubium reliqui Meletem. I. p. 114. Praeterea Ovidius Metam. XII, 627. ipsos Graecorum principes litis judices sistit. Welckerus Trilog. p. 438. de Aeschylo disputans plura neglexit.

neque illum feminarum congressum et confabulationem cum senum illis et Helenae sermonibus comparem, quos in Iliadis rhapsodiâ tertiâ audimus. Sed illud schol. Aristoph. modo cit. ex carmine ipso testatur, alteram feminam 52
Minervae instinctu potioris operae meritum Ulyssi vindicasse. Hujus igitur suffragio quae reportaverat arma Achillis, ea Ulysses posthac, ut est apud Proclum, Neoptolemo a se arcessito concessit. Qua usum aequitate Quintus etiam Smyrnaeus VII, 211. et 445. narrat. Ad Arctini carmen haec omnino non pertinere videntur; quanquam fuerunt, qui arma illa ab Ulysse retenta posthac ex naufragio ad Rhoeteum delata facerent (v. Lobeck. ad Soph. Aj. p. 362.). Sed Lesches, qui Ulyssem illâ quâ diximus liberalitatis laude ornavit, idem Ajaci rursus tam iniquus reperitur fuisse, ut ob Agamemnonis in defunctum iram ne crematum quidem sollemni more referret. *) (Quam poetae Lesbii in Ajacem iniquitatem erit fortasse qui ad publicas quasdam detrectandae gloriae caussas referat.) Ajacis necem in Iliade parva subsequutus est Ulyssis dolus, quo Helenum vatem cepit. A quo quum edocti essent, ad superandam Trojam Philoctetae arma requiri, hunc Diomedes e Lemno ad Trojam duxit. (Vim fati parum intelligimus, nisi in Paridis morte versabatur.) Philoctetae vulneri medetur Machaon etiam tum superstes (ap. Quint. IX, 463. Podalirius). Ita refectus heros cum Paride ad certamen congreditur, eumque (sagittâ fortasse) dejicit. Exsultantis victoriâ Philoctetae vocem prae ceteris advertit Menelaus: is 53
propere adest, raptoris corpori insultat, omnique saevitiâ lacerabat, nisi Trojani eripuissent ereptumque sepeliissent. Paride sublato spes fuit fore, ut Helenâ redditâ bellum componeretur; de qua re inter deos hominesque consilia esse agitata, probabiliter sumimus. Sed vicit sive fatum sive deorum

---

*) Eustathius ad *β* Il. p. 285 = 216. *καὶ ὅτι ὁ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα γράψας ἱστορεῖ μηδὲ καυθῆναι συνήθως τὸν Αἴαντα, τεθῆναι δὲ ὅυτως ἐν σορῷ διὰ τὴν ὀργὴν τȣ̃ βασιλέως.* Dubitationis aliquid facit *σορός* illa; cfr. Il. *ψ*, 91. Conjecerit aliquis, ipsum Leschem nihil perhibuisse nisi humatum esse peculiari more Ajacem, non crematum; irae caussam a recentioribus esse interpositam. Cfr. Plut. Sol. 10. ej. Thes. 36. At in Aethiopide certe rogi est mentio in Achillis funere.

prava jubentium cupido, ut Helena Deiphobo potius uxor concederet. *) Jam resurgente bello nova subsidia quaerunt utrique. Graeci Ulyssem mittunt, qui Neoptolemum Scyro arcessat (cfr. Odyss. λ, 507.). Interim Trojanis Eurypylus auxilio venit; qui summâ fortitudine magnâque strage factâ (in quâ etiam Machaonem prostravit, Paus. III, 26, 7.) Graecos gravissime affligit. Tandem Neoptolemus adest, acceptisque ab Ulysse armis patris, cujus ipsius visa per noctem umbra stimulos tendenti addit, grassantem versus naves fortissime caedit (cfr. Od. l. l. 518.). Jam denique Trojani spem in solis munimentis ponendam censent; Graeci clausam obsidione urbem Ulyssis dolis machinisque aggrediuntur.

IX.

Comparatio Persidis Arctini et Leschis transigitur.

Novam hanc rerum in exitum vergentium condicionem eaque omnia, quae a primo equi fabricandi consilio usque ad ipsum belli finem Graecorumque reditum evenerint, eam partem Iliadis parvae conficere puto, quam
54 Pausanias Persidis nomine insigniat. **) Tantundem vero Arctini Persidem

---

*) Ejusdem conjugii indicia reperire mihi videor in duobus Odysseae locis δ, 276, ϑ, 517—20. Quae si parum certa est suspicio, illud confidenter pronuncio, non Leschem ex istis Homeri locis quod narraret interpretatione elicuisse, sed utrumque profecisse ab antiquioribus.

**) [Insigniore principio distinctam fuisse hanc partem, et eo quidem, quod exhibeat Plutarchus in Conviv. sept. sap. c. 10. T. VIII. p. 23. Hutt. (T. VI. p. 584. Reisk.), conjecit nuper Wuellnerus in Diar. scholast. a. 1830. II. fol. 152. In quo parum animadvertit, quae istius testimonii esset condicio, incerta admodum et praecipue quum Leschem quaerimus plane anceps. Quamquam vereor ne versiculorum ipsa sententia conjectanti obstet. Versatur Plutarchus in certamine Homeri Hesiodique Chalcide Euboeae transacto. Ac primum strictim pono Plutarchum quaesiti et responsi rationem longe rectius exhibere, quam Agonis auctorem, qui Hesiodum propemodum absurde loquentem faciat. Verum, id quod res est, verba

complexam esse, quum ad nominis convenientiam et carminis describendi rationem maxime consentaneum est, tum a cycli argumentis et reliquis quae exstant testimoniis plurimum probabilitatis habet. Hoc enim carmen quum nequaquam a ficto Graecorum in Tenedum discessu initium duxisse, sed etiam prius illud, raptum a Diomede et Ulysse Palladium, habuisse videamus: tamen nullum usquam emergit indicium eorum, quae evenerunt antequam Trojani in muros sese recepissent. Ergo Philoctetae et Neoptolemi tum deductiones illas tum pugnas cum Paride et Eurypylo pugnatas cycli collectores ne potuerunt quidem aliunde delibare quam ex Iliade parva; Arctinus enim, quum Aethiopidem usque ad Ajacis sepulturam perduxisset, Persidem illis omissis de ipsa urbis expugnatione, primo dolis deinde vi patratâ, composuerat. Quod si vere recteque argumentamur, in Perside major quaedam fuit quam in Iliade parvâ condicionis aequabilitas et congruentia partium. Unum tamen est, ex quo aliquis conjiciat, Arctini carmen etiam proxima ab Ajacis nece continuisse item atque Leschis. Quintus enim Smyrnaeus, qui multis in rebus Arctinum potius sequutus est, illa, quae de Neoptolemo et Philoctetâ sunt, inverso ordine narrat: primum Neoptolemum, deinde Philoctetam arcessit, atque hunc, quum Machaonem et ipse ab Eurypylo occisum faciat, a Podalirio potius sanatum tradit. Neque Heleni ab Ulysse capti, sed Calchantis de consilio apud eum mittuntur, qui Philoctetam deducant (IX, 325—35.); mittuntur autem Diomedes et Ulysses, quorum Proclus e Lesche illum solum commemorat. Hanc

---

Plutarchi quum in libris varient, Goettlingii sententiam (Praef. ad Hes. p. XI.) Hermannus Op. VI. p. 145. ita retractavit, ut scribendum duceret: *ἐτράποντο πρὸς τοιαύτας ἐρωτήσεις καὶ λέσχας, καὶ προὔβαλεν ὅ μὲν, ὥς φασι.* Quam lectionem si non admittas, possis versiculos forsitan Leschi poetae, ut qui eosdem alicubi posuisset, ita vindicare, ut scribas: *πρὔβαλεν ὁ μὲν, Λέσχης ὥς φησι*: verumtamen neque hujus lectionis probabilitas est, neque versiculi prooemii loco haberi possunt. Nam verba: *Μῦσα μοι ἔννεπ᾽ ἐκεῖνα τὰ μήτ᾽ ἐγένοντο πάροιθεν Μήτ᾽ ἔσται μετόπισθεν*, profecto non hoc sibi volunt: „Musa concelebra mihi *qualia* neque antea facta sunt neque in posterum fient,“ quanquam hoc ipsum mirum foret dictu, sed: ede mihi Musa ea, quae neque facta neque futura sint.]

igitur diversitatem si quis ab Arctino repetendam ducat, de Persidis ambitu
55 aliter statuet. Atque possunt in eandem sententiam alia probabiliter disputari: parum credibile esse poetam carmen, in quo Neoptolemi magnae essent partes, ita esse ingressum, ut quomodo ille ad Graecos pervenerit, non diceret. Deinde occasum Paridis, quem Philocteta interfecerit, optimum parasse aditum ad illam Trojae obsessae condicionem, in qua Persis deinceps versetur. Potest ex his aliqua effici probabilitas; [praesertim si de Perside in universum cum Welckero statuas, qui Arctinum Neoptolemo primas tribuisse putat, Leschem Ulyssi.] Neque tamen aut Quinto, qui multa recentioribus debet, aut istis rationibus plus tribuendum puto quam iis argumentis, quae supra posui. Haud igitur temere reciprocatâ quodammodo argumentatione obtinere videor: Aristotelem ideo Iliadem parv. prae Perside commemorasse, quod ab armorum ad eo judicio progressa aliquanto plura fabularum argumenta haberet quam illa. Idem nomen Ilii Persidis ex tragicorum ratione posuit, qui, si ex illo fabularum ordine conjecturam capere licet, ab ea condicione exorsi erant, quum Trojani simulato hostium discessu decepti laetitiae se dabant. *) Jam postquam in Iliade parva progressum quidem satis aptum, sed minorem tamen multiplicis actionis congruentiam fuisse intelleximus, quam quae fuerit in Perside: alterum quoque videre gratissimum esset, num Persis posteriorem ac suam illam, quam supra diximus, partem uberius forsitan exornaverit quam Lesches. Est
56 illud quidem ad conjiciendum admodum probabile; quanquam certis indiciis demonstrare non possumus. Nam quod cycli collectores extremam partem belli e Perside desumere quam parvam Iliadem continuare maluerunt, id ad copiae aliusve virtutis commendationem nihilo tutius referre videmur quam

---

*) Welckerus quam recte Ilii Persidem trilogiae loco habeat Trilog. p. 444., ipse viderit. Equidem vereor, ut Aristoteles aliud quidquam dixerit c. 18, 17. quam esse, qui male fabulas, Persidis vocabulo inscriptas, de universâ urbis expugnatae condicione composuerint (ὅσοι Πέρσιν Ἰλίου ὅλην ἐποίησαν). Neque ille unquam trilogias pro singulis fabulis posuit, neque reprehensurus fuisset, si poeta singula momenta sese excipientia singulis fabulis extulisset. [De l. poet. 24, 5. v. Gruppii Ariadn. p. 49 squ.]

ad alias caussas. Car. Guil. Muellerus (de cyclo p. 105 sq.) istos fabularum, quas Lesches a communi fama deflexas exhibuisset, discrepantiâ ductos Arctinum potius adhibuisse censet. Satis ea ratio probabilis est, quamque uno certe exemplo insigni firmare possimus Aeneae, quem Lesches non ut Arctinus apud Proclum Laocoontis prodigio proterritum cum suis in Idam secessisse, sed postquam extrema Trojae fata tolerasset Neoptolemo addictum esse captivum narrat (in versibus a Tzetza servatis Fr. 7. Muell.): quam famam ex omnibus, qui de Aenea quamvis diversissima retulerunt, nemo amplexus est (v. Niebuhr H. R. 1. p. 185 sqq. edit. II.). At enim vero, si omnino cyclum non quo carminum specimina uno in conspectu posita exstarent compositum ducimus, sed ut fabulae, quae de rebus Trojanis nobilissimae essent, luculenter cognoscerentur: ubi plurium carminum optio erat, utrumque certe pariter quaesitum esse puto, ut et celeberrimas fabulas praeberent, et, quantum fieri posset, de rebus omnibus. Neque ii, qui illum delectum egerunt, carmen tenuius, si modo probatissima haberet, praelaturi fuisse videntur uberiori, quod aliquoties a pervulgatis abluderet. *) Haec igitur ratio tantum valet, ut Arctinus expugnationis casus, nisi copiosius, eâdem certe ubertate persequutus esse videatur atque Lesches. Praeterea, nisi Aristoteles fabularum nomina negligentius sublegisse videretur, ex ejus recensu illo colligerem, de Laocoonte, de quo in Procliano 57
Persidis argumento disertissima est, in Iliade parvâ omnino nullam fuisse mentionem. Nam licet sane mirari, Aristotelem, quum et Lacaenas et Sinonem Sophoclis commemoret, Laocoontem ejusdem poetae non adjecisse. Accedit, quod de Aenea, quem Arctinus ob ipsum illud Laocoontis omen desperatâ salute urbem reliquisse finxit, Lesches, ut vidimus, alia omnia narravit. Sed suspicioni isti ne nimis confidam, monet etiam illud, quod dubitari posse video, an Laocoontis supplicia a tragico aliquo in fabulam, quam Ilii Persidem inscripserit, fuerint comprehensa. Quare praestabit praereptam nobis cognitionem accuratam deplorare, quam umbras veritatis

*) [Istis isto modo disputatis quae subest de cycli compositione opinio, eam ne nunc quidem quidquam muto. V. Commentat. hujus fascic. IVtam.]

cupidius sectari. Extrema pars carminis quo modo processerit, Proclo secundum Quintum in ordinem redacto bene docuit Wuellnerus p. 92. Omisit Proclus ipsum exitum, quum Arctinus non potuerit non eventum adjicere, quem ira Minervae habuerit. Adjecerit igitur necesse est de ipsa tempestate maximeque de Ajacis ad Cephareas interitu; ut in hoc carmine poena ab ipso facinore et Graecorum de eo judicio propius abfuisse videatur quam in Nostis (v. Welck. Trilog. p. 442.). Forma vero narrationis ea fere fuerit quae apud Quintum; quanquam singula Arctinum majore explicatione distinxisse, credere par est.

X.

Aethiopis Arctini.

Vidimus, quâ sive descriptionis sive ordinis diversitate Arctinus et Lesches quartum tempus complexi esse videantur. Intererant nonnulla inter Achillis Ajacisque mortes et expugnandae urbis condicionem, quae con-
58 tinuati magis belli quam rerum ad exitum vergentium speciem haberent. Haec an omiserit Arctinus dubitandum esse duximus. Quod ut neget aliquis satis posse probari, certe temporum condicionisque illa discrimina non tollet, neque ad eorum opinionem relabetur, qui cyclicis illis nescio quam annalium similitudinem ita obtruserunt, ut cur tantum maxime complexi essent rerum, quantum reperiuntur, rationem fere nullam habuisse viderentur, sed in continuanda narratione istis forte locis casu substitisse. Restat, ut de *Aethiopide Arctini* dicamus, quae de tertio fuit tempore. Quod carmen jam dudum dubito an Achillem, a quo nomen habere potuit, tam apto progressu per casuum vicissitudines perduxerit, ut actionis consummatae congruentiâ cetera, quae cyclicorum nunc dicimus, vicerit omnia. Deinde alterum me hoc convertit. Deprehendere mihi videor haud paucos locos, qui quum Iliadis admonitionem quandam aut similitudinem haberent, Arctinum in Homeri aemulationem quasi ultro vocarint. Utrumque jam in Meletem. Fasc. I. p. 114. significatum nunc explanabo enucleatius.

Achilles irâ suâ iraeque eventibus jam defunctus, redditusque totus
rei Graecorum, primam quasi in Hectoris partes succedere videt Penthe-
sileam Amazonem. Magna anhelantem et perpetrantem suscipit Achilles et
interficit. Mortuae corpus Trojani recipiunt ad sepulturam. Quod ab
Atridis Penthesileam miserantibus permissum esse Quintus narrat I, 782.
Arctinus fortasse connivente quodammodo Achille factum tradidit, ut hoc
quoque arguerit Thersites, qui sui haudquaquam dissimilis eâdem, quâ
olim in Agamemnonem usus erat, oris licentiâ, et (quod jam Homerus Il.
β, 220. seq. bene noverat) Achilli maxime acerbus, etiam amorem ei objecit.
(Hujus indicia sibi tum fortasse deprehendisse videbatur, quum virginem 59
ille a se prostratam spectaret victor quasi invitus, cfr. Quint. I, 671. et 718.)
Deterrimi Graecorum calumnias non tulit is, qui in Hectoris redemptione
neutiquam naturam deposuerat. Graviter effervescens Thersitam manu vio-
lentâ dejicit Achilles. Eam saevitiam vindicandi in populari suo Graeco-
rum magna pars indigne fert. Orto tumultu hominis Graeci caede piacu-
lum admissum vociferantur (quod universum exercitum premere videbatur).
Intercedit, ut plerumque, Ulyssis prudentia; qui sive de suo sive de com-
muni consilio, ut olim Chrysam ad placandum Apollinem missus erat (Il.
α, 311.), sic tum Achillem in Lesbum deducit, ibique mactatâ Apollini,
Dianae et Latonae hostiâ scelere obstrictum expiat. *) Dum haec apud
Graecos geruntur, Trojanis trepidantibus propugnator novus auxilio venit
Memno, Aurorae filius, qui ut genere, formâ et virtute, sic Vulcanii operis
armaturâ cum Achille certat. De bello cum eo instante ejusque omni for-
tasse fortunâ Thetis filium commonefacit. Ac sequitur casuum series gra-
vissimorum. Antequam Achilles ad certamen descendere potest, Memno
Antilochum obvium habet, eumque interficit (Od. δ, 187 seq.). Non alius
post Patrocli mortem in Graecorum exercitu Achilli conjunctior fuerat

---

*) Haec, quae sunt de Thersitae caede, admodum leviter transigit Quintus, qui non seditionem ob piaculi opinionem ortam sollemni expiatione compositam esse, sed tantum breviter tradit, Diomedem e Graecis unum, cognati quidem sui nece irritatum, vim parasse in Achillem, nisi ceteri alloquiis animos rixantium sedassent, v. I. 766—81.

(Il. ϱ, 653. Od. λ, 468. ω. 78 sq.). Itaque alterum sibi Patroclum ereptum
60 ille acerbissime sentiens, ocius adest easdem, quas olim ab Hectore, ab
ejus aemulo poenas sumpturus. Neque incassum minatus Aurorae filium filius Thetidis occidit. At deae filio, quominus hostis saevitiam etiam mortuus experiatur, promptior intercedit deorum gratia. Aurorae precibus Jupiter non sepulturam justam sed immortalitatem filio impertiendam concedit. (Haec quoque Quintus narratione aut tenuiore aut noviciâ exhibuit). Dum Memno matris deprecatione fato eripitur, Achilles Trojanos Antilochi corpus foedare conantes fundit fugatque, atque ad muros usque persequitur. Sed jam victricibus armis grassantem et ipsi imminentem urbi Paris, quem Apollinis consilium instinxit, sagittâ opprimit. Scilicet, sicut olim Patroclus, quem Apolline socio Hector devicerat, huic mortis insequuturae haud vanus vates exstiterat (Il. π, 851 seqq.): sic tum Apollo Patrocli et Antilochi ultorem Paridis manu dejecit. Ad servandum Achillis corpus cum aliis Ajax Salaminius et Ulysses convolant. Atrocissima de fortissimi et funestissimi cadavere pugna pugnatur (Od. ε, 309, seq. ω, 37—42.). Tandem, juvante etiam Jovis procellâ, Ajax mortuum humeris susceptum in castra deportat, dum urgentes Trojanos sustinet Ulysses. Nunc, postquam isto certamine defuncti sunt, Graeci etiam Antilochi sepeliendi denique otium nanciscuntur. Accedit, quod iis consilium fuerat, Antilochi urnam cum ea, quae mixtos Achillis et Patrocli cineres acceperit, eodem tumulo condere (Od. ω, 77 seq.). Cremato igitur Antilocho Achillis funus ad parentandum proponitur. Jam casus acerbissimi haud ignara Thetis cum Nereidibus succedit et novem Musis, quarum planctibus omnium Graecorum luctus cientur miserrimi. Dea mater, postquam lacrymas filio etiam ipsa
61 dedit, rogo jam impositum divinitus aufert ablatumque in Leucam insulam
prosequitur, divinitatis sorte mactatum. *) Sed eadem etiam ludis funebribus praefuit, si quidem Arctinus eam tenuit famam, quae duobus Odysseae locis subest (v. λ, 546. ω, 85—92.). Praemia divinae artis victoribus posuit;

*) Copiose et eleganter de Achillis aliorumque consecrationibus disputatum est in libro: Memoire sur les Iles et la course consacrées à Achille dans le Pont-Euxin. A St. Pétersbourg, 1827. Cfr. tamen Vossius Epistol. mythol. T. III. p. 59 sq.

deinde ipsius Achillis arma fortissimo Graecorum assignanda permisit. In eam contentionem prae aliis venerunt duo illi, quorum opera in recuperando gestoris cadavere maxima fuerat, Ulysses et Ajax. Caussâ ad captivos Trojanos rejectâ superior fuit Ulysses (v. supra not. p. 51.). Quam injuriam non patienter tulit is, qui antehac non sibi solum ipsi ab Achille virtute secundus visus erat. Qui quum altero mane dolorem nece exstinxisset (v. schol. Pind. ad Isthm. IV, 68.): Graeci non sine gravi luctu in Rhoeteo eum sepeliunt. Is carminis finis fuit.

Supervacaneum puto, eorum, quae exposita sunt, vel congruentiam vel similitudinem, quâ Iliadis locos saepissime in animum revocant, pluribus illustrare. Sed illud quoque lectores sentient, quantâ argumentum istud virtute et quadam quasi fertilitate poetae ingenium foecundare atque ad ornatum orationisque lumina ipsum perducere debuerit. Satis igitur confidenter credere licebit, ne Aristotelem quidem de hoc carmine non aliquanto benignius statuisse quam de aliis. Qui si non compositionis solum, sed imitationis quoque artem omnem Homero praecipuam dedit (de poet. 25, 1—2. s. 24. Graef.): tamen eâ quoque re alium poetam alio praestitisse 62
suspicamur recte, ne dicam necessario. Fuit haec sane Homericae praestantiae non minima pars, quod ad scenicam imitationem proxime accedens suopte ore paucissima, longe plurima inductis personis iisque scite ornatis exhibuerat; quum ceteri contra ipsi pleraque narrantes interloquutoribus pauca admodum tribuissent. Neque omnino quisquam, qui sapiat, Iliadi aut Odysseae ullum carmen virtute par fuisse dicet. Verum ne negligamus primum, aequabiliora belli tempora iis, quae totius certaminis momenta communia haberent, in scenicam imitationem a poetis fingi facilius potuisse. Deinde aliae accedunt rationes, quae judicium a decreto iniquiore caute abstinere jubent. Aristoteles ipse quidem novit, disputantesque inducit, qui histrionum vitia ad poesin referentes tragicis ampullis epicam narrationem longe anteponerent (de poet. 27, 1—6.): id tamen apud Atticos paucorum erat judicium, plerisque pariter atque Aristoteles tragoediam praeferentibus. Haec ipsa autem ratio quum Homerum videtur super ceteros plerosque epicos extulisse, tum ad neglectum quendam valuisse eorum poetarum, qui omnibus, qui carmina integra legerent, facile potuerunt suis quibusdam vir-

tutibus satis probari. Quanquam tragoediae ista commendatio ac celebritas alius magis caussae admonet, cur epicorum istorum minus crebra memoria esse videatur. Nam si jure aliquo poetas illos in Atticâ minus lectitatos esse credimus, ejus infrequentiae non alia certior est caussa, quam quod Athenienses easdem fabulas a tragicis refictas et in scenâ actas tum spectare tum discere solebant. Cujus rei ea vis est, ut ii, qui de illis poetis omni-
63 bus parum honorifice statui posse putent, certe silentii isti aut oblivionis testimonio ne nimium tribuant. Atque carmina cyclicorum sunt illa quidem servata diu ultra florentis Graeciae aetatem, et lecta a Pindaro, Herodoto, Aristophane comico, ne tragicos commemorem. E quibus quum unus et alter famam, quâ nonnulla eorum Homero tribuebantur, dignam habuerit, quam respiceret: certe Proclum, qui Cypria et reliqua non tam propter virtutem quam propter narrationis seriem multum volutata narret, non unum sapuisse dicam, illos vero ineptos ne Homeri quidem virtutes sensisse putabo. Sed dictum est abunde, ut, quo judicii temperamento utendum sit, ab omnibus possit sentiri. Itaque jam ad ipsius nos Aristotelis verba recipiamus.

XI.

Locus Aristotelis de poet. 17, qui Odysseae descriptionem habet, illustratur. Ejusdem doctrina de episodiis et agnitionum usu exponitur.

Aristoteles quam in unius actionis consensum sapienter et scite compositam dixerat Odysseae fabulam, ejus argumentum de poet. c. 17. s. 16. descripsit, hoc quidem sequutus, ut quid ipsius actionis proprium, quidve per episodium implicitum esset, accurate dignosceretur. Ita igitur ille: „In fabulis quidem scenicis, inquit, episodia concisa sunt, epica autem poesis iis dilatatur. Nam Odysseae exiguum argumentum est hoc: Quum quidam peregre esset multos annos, asservatus ille a Neptuno, et solus, praetereaque res domesticae ita se haberent, ut opes a procis absumerentur filioque struerentur insidiae: ipse tempestatibus jactatus advenit, et agnitis

quibusdam quum istos aggressus esset, ipse servatus est, inimicos vero perdidit. Hoc proprium est, cetera episodia.“ Quod his verbis complectitur, *τὸν λόγον* Aristoteles s. *τὸ καθόλȣ* appellat, quae est actionis condicio, in universum sed ita descripta, ut haec lineamenta ipsius quasi figuram fabulae 64
exprimant. Hanc poetis primum apud animum exponendam et conformandam esse praecipit, deinde episodia facienda carmenque extendendum. A *λόγῳ* differt *μῦθος*, quae *πραγμάτων* est *σύστασις* (c. 8, 12. 6, 8.), et ita quidem, ut *λόγος* in *μύθȣ* formam cedat, quum, quod in universum descriptum est, uni cuidam actioni, quae certo tempore evenerit, applicitum, ex communi proprium evadat. Quanquam artis haec potius plerumque est via, ut unum quiddam ad communis condicionis normam revocatum fingatur. Ita explicamus, quae in Aristotelis doctrinâ insunt. Jam illud maxime animadvertendum est, Aristotelem argumentum Odysseae ita exigere, ut nihil mutato narrationis ordine ipsam fabulae figuram, qualis in carmine expressa sit, servet. Neque igitur Ulyssis reditum Trojano a littore repetit (ita enim apologum Alcinoi se describere putasset): sed positâ eâ, in quâ poeta illum constituit, rerum condicione, ut primum quodque momentum incidit, id addit, sed semel quodque, idque verbo significasse contentus rerum inclinationem persequitur. Ut autem intelligi possit, quo modo ad suam illam summam Odysseae partes digesserit, ejus de episodiis praecepta adhibenda sunt. De episodiis qualia nunc quaerimus capp. 17. 23 et 24. disseruit. Iis non veniam modo paratissimam tribuit, sed eorum usu maxime epicum carmen amplificandum suisque instruendum copiis docet. Omnibus autem hanc scribit legem, ut ad rem pertineant (*ὅπως ἔσται οἰκεῖα τὰ ἐπεισόδια, σκοπεῖν* c. 17.); quod quale sit ex additis exemplis cognoscitur. Per episodium enim in Iphigenia Taurica tum insaniam, per quam captus esse a bubulco Orestes narratur (260—335.), tum expiationem, quâ soror et illi et sibi 65
salutem invenit (1153—1233.), inserta esse censet. Iliadem autem quum aliis episodiis multis (*οἷς διαλαμβάνει τὴν ποίησιν*), tum navium recensu interjecto auctam dicit c. 23. Plurimus igitur Aristotele judice episodiorum usus est, isque ita propius, ut etiam ipsius actionis membra variata fingat et instruat uberius. Quae enim simpliciter facta esse dici potuissent, his si qua adhibita est machina et singularis inventa ratio, episodium ascivisse

poeta dicitur. Velut quum Orestes captus adductusque esse nude dici potuisset, maluit Euripides ingruentem interdum Oresti insaniam, quae non erat hujus actionis, adhibere, quâ stratis armentis bubulci vim excierit. Itemque Iliadis auctor non solum agminis Graecorum incessum magnifice exornavit (*β*, 455—483.), sed agminis illius speciem singulorum populorum longo recensu distinxit. Ad horum exemplorum normam Odysseae episodia, carmine ipso cum Aristotelis argumento commisso, expendere conatus sum. In quo si quid dubitationis reliquum fuerit, in summa scriptoris brevitate modestius quam audacius fecisse haud poenitebit. Non ille Neptuni iram per episodium inductam dicit; haec enim ipsa a patriâ arcet absentem, qui, nisi illa redire cupienti infesta obstaret, omnino ne abesset quidem amplius. Non magis autem Neptunus praeterea quidquam ad carminis summam momenti habet. Asservat tantummodo delitescentem in Ogygia, rejicit, dum licet, ab appulsu in patriam; et quum cedendum summi Jovis decreto vidit, haud impune Phaeacibus esse sinit, quod feliciter illum auctumque donis domum deportarunt. Itaque verbis: *ἀποδημȣ͂ντός τινος ἔτη πολλὰ καὶ παραφυλαττομένȣ ὑπὸ τȣ͂ Ποσειδῶνος, καὶ μόνȣ ὄντος, αὐτὸς ἀφικνεῖται*
66 *χειμασθείς* nihil aliud significare putandus est Aristoteles, nisi *α*, 1—79. *ε*, et *ν*, et non priores respexisse cursus qui narrantur rh. *ι*—*μ*. priora enim quum neque absentiae caussam neque reditus rationem spectent, episodiorum ille potius loco habuit; itemque ludos, qui rh. *ϑ* in Ulyssis honorem acti referuntur. Media sunt inter utramque condicionem et propriorum et episodiorum quasi confinia, quae continentur rh. *ζ*, *η* et *ϑ*, 1—99. Atqui multiplex est episodiorum illorum cum actione primaria necessitudo. Ulyssis narratione docentur auditores, primum unde et ubi ira exorta sit, quae tot annos absentem premit, deinde quomodo socios amiserit, quibus destitutum sistit fabulae argumentum (*καὶ μόνȣ ὄντος*); denique etiam ad reditum facit narratio, cujus jucunditate ac miraculis deliniti Phaeacum reges dona et deductionem paratius liberaliusque instruunt (rh. *ν* init.); similis autem quanquam haud paullo alienior condicio est ludorum illorum. Sed quum Odysseae adornatio bipartita sit, ut cujus in duplici compositione reciprocetur fortuna (v. poet. c. 13, 11.): alteram expositionis partem his verbis Ar. adumbrat: *ἔτι δὲ τῶν οἴκοι ȣ̔͂τως ἐχόντων, ὥς τε τὰ χρήματα ὑπὸ τῶν*

μνηστήρων ἀναλίσκεσθαι, καὶ τὸν υἱὸν ἐπιβουλεύεσθαι. Haec primum in *α*, 106 sqq.
β, et *δ*, 625 usque ad fin. quadrant; nam et Telemachi concio et procorum
insidiae quis dubitet quin rebus primariis intersint. Temperata autem sunt
episodio de Telemachi itinere (*γ*, *δ* usque ad 624.), cujus ratio in promptu
est. Gliscens enim per procorum animos tollendi Telemachi consilium per
itineris opportunitatem erumpit. Neque alieni sunt sive Nestoris sive Me-
nelai Helenaeque sermones; quanquam qui aegre se ab his abstractum ad
procorum petulantiam malitiamque traduci patitur (*δ*, 620 sqq.): nae is hae- 67
rere Lotophagus quam cursum persequi mavult. Accedunt vero prioribus
illis, quae res domesticas adumbrant, rhapsodiae maxime *ρ*, *σ* et *υ* et magna
pars quartae et quintae decimae, tametsi his quoque insunt, quae ut *π* et *τ*
ad agnitionis potius vicissitudinem pertinent. Sequitur in argumento: *καὶ
ἀναγνωρίσας τινάς*, quod admonet, ut de agnitionibus doctrinam illustremus.
Ordiendum est a. c. 10. in quo postquam fabularum et actionum alias sim-
plices esse statuit, quum conversio fortunae nec inopinato casu nec agni-
tione, sed aequabili ipsius actionis progressu fieret, alias implicatas, quum
commutatio illa ex inopinato casu aut agnitione, aut ambobus incideret: de
agnitionis genere exposuit c. 11. ejusdem formas, vim et efficaciam c. 16.
persequutus est, denique c. 24. Iliadis quidem actionem simplicem et
aerumnosam, Odysseae vero implicatam et moratam esse dixit, transigi
enim totam per agnitionem. (Moratam s. ethicam Odysseam appellavit,
quod tota apta est ex appetitione, et in finem propositum intenta.) Ergo
Aristotele judice agnitio per totam Odysseam dominatur. Quod antequam
pluribus explicemus, verbo cavendum est, ne quis eum prorsus temere
leviori actionis transigendae adminiculo tantum momenti ac prope primas
detulisse putet. Conjunxit Ar. agnitionem et casum necopinatum, *ἀναγνώρισιν*
et *περιπέτειαν*, et ita quidem, ut aut alterutrâ aut ambabus implicatae actio-
nis genus constare diceret; utriusque autem vim omnem ad fortunae con-
versionem retulit. Porro casum necopinatum agnitione potiorem esse voluit,
ut *περιπέτεια* quidem sola satis posset, agnitio vero cum illâ conjuncta optime
haberet. Ergo agnitionis vim non ipso facto contineri putat, quo quis tum
ipsum alius esse reperiatur, atque antea visus fuerit, sed illud consequens 68
assumit, quod, qui ex obscuro emergat, simul vel ex alieno amicus fiat vel

a sortis quâ pressus fuerit iniquitate ad laetiora proficiat, aut contra (c. 11.): *θεὸς γὰρ καὶ τὸ γιγνώσκειν φίλους*, ut est ap. Eur. Hel. 560. Negari autem non potest, philosophum vel sic in formis agnitionis discriminandis diligentiam prope putidam posuisse, et omnino hoc genus nimis exegisse. Pergimus ad Odysseam. In hac, si quid recte interpretor, agnitionis vim primum deprehendit apud Alcinoum (c. 16. *καὶ ἡ ἐν Ἀλκίνου ἀπολόγῳ· ἀκούων γὰρ τοῦ κιθαρίστου καὶ μνησθεὶς, ἐδάκρυσε.*); ea enim agnitio primam habet inclinationem fortunae, quum agnitus ab Alcinoo Ulysses, ex alieno amicus factus, benigne in Ithacam deducendus suscipitur (Od. ϑ. 521—33. Post primam illam agnitionem redux in patriam Ulysses ibi primum agnoscitur a Telemacho π, 186 sqq. Quae agnitio vereor ut justos numeros habeat, neque enim ullo alterius judicio fit, sed solâ ejus qui agnoscitur professione. Quo exemplo maxime arguitur Aristoteles agnitionis modo nimium tribuisse. Quum enim nullo ista omnino neque artificio neque casu eveniat: ad rerum tamen conversionem gravissima est, neque minus ad totius carminis implicationem; nam illo Ulyssis cum filio congressu duplex compositio in simplicem coit. Quae sequuntur agnitiones τ, 386. et φ, 217. eas diserto judicio ponit Arist. c. 16, 4. „signa si qua sint indicio, alia ait esse extrinsecus addita, alia in ipso corpore ut cicatrices. Qui quum omnino rudior sit agnitionis modus, tamen eo quoque recte secusve uti posse poetam. *οἷον Ὀδυσσεὺς διὰ τῆς οὐλῆς ἄλλως ἀνεγνωρίσθη ὑπὸ τῆς τροφοῦ, καὶ ἄλλως ὑπὸ τῶν*
69 *συβωτῶν· εἰσὶ γὰρ αἱ μὲν πίστεως ἕνεκα ἀτεχνότεραι· καὶ αἱ τοιαῦται πᾶσαι· αἱ δὲ ἐκ περιπετείας, ὥς περ ἡ ἐν τοῖς Νίπτροις, βελτίους.* Non est, quod hoc loco pluribus ostendam, quam insigni judicio Ar. illam Eurycleae agnitionem efferat. Neque quisquam amplius dubitavit, quin idem episodium quoque, quod de acceptâ ad Parnassum est cicatrice, admiserit, utpote quo agnitionis caussa illustretur. Missâ igitur istâ Knightii Thierschiique suspicione (vid. supra sect. 1.) reliqua agnitionis momenta breviter addimus. Prodit se Ulysses porro procis arcus sui usu (quam dixeris *ἀναγνώρισιν ἐξ αὐτῶν τῶν πραγμάτων*, qualem omnium praestantissimam dicit Ar. c. 16, 11.; Penelopae ψ, 183 sqq. lecti sui indiciis, quae est agnitio per signum acquisitum, eaque deterioris notae, signum enim in fidem adhibetur; denique similiter Laertae patri sui fidem facit adhibitis signis ω, 330—345., cujus loci mentio est ap. Aristotelem

Eth. Nicom. III, 8, 10. allatis verbis δριμὺ δ' ἀνὰ ῥῖνας μένος, quae duobus versibus inserta leguntur ω, 318 et 19. Is igitur agnitionis ille tenor est, qui per totam Odysseam pertinet; aliena admiscuit Graefenh. in Animadv. ad libr. de poet. c. 24. p. 183. nisi quis forte canis fidelissimi agnitionem a me neglectam jure queratur.

XII.

Aristotelem Odysseam non extrema parte mancam sed integram legisse demonstratur.

Reliquum est, ut extrema quae in argumento Aristoteles posuit nihil habere doceamus, quod illius Odysseam ulla parte mancam fuisse indicet. Addit haec: αὐτοῖς ἐπιθέμενος αὐτὸς μὲν ἐσώθη, τοὺς δ' ἐχθροὺς διέφθειρε. Incolumitas illa victoris non ipsâ modo victoriâ continetur, sed oportuit eum etiam ab ultione omni tutum esse. Quapropter dubium non est, quin ultima 70
quoque, quibus pax cum Ithacensibus composita narratur, isto αὐτὸς ἐσώθη comprehenderit Aristoteles. Accedunt vero alia testimonia, quae extremam partem, quam Alexandrini notarunt, ab Aristotelis Odysseâ nequaquam abfuisse praestent. Atque unus locus, qui in Laertae agnitione reperitur, jam supra allatus est. Porro Rhetor. III, 16, 7. brevitatis ejus, qua patronum, quae vere commissa sint, attenuare jubet, ex Homero petit exemplum his usus verbis: παράδειγμα ὁ Ἀλκινόου ἀπόλογος, ὅτε πρὸς τὴν Πηνελόπην ἐν ἑξήκοντα ἔπεσι πεποίηται. His verbis non versus Od. ψ, 263—284. significari, quos Buhlius indicavit, certissimum est; hi enim non Alcinoi apologum, sed solum Tiresiae vaticinum idque totidem verbis expressum referunt (cfr. λ, 120—137.). Neque magis quisquam locum τ, 274—79. respici opinabitur. Sed subest κεφαλαίωσις quae ψ, 310—43. legitur. Neque enim illud morabimur, quod in Aristotelis libris nunc est ἐν ἑξήκοντα ἔπεσι quum versus isti triginta trium, aut si accuratius computaverit, viginti duorum tantum numerum expleant (310—332.). Nam sive ξ ex λ et suprascripto γ, sive e κβ corruptum sit, sive alio numerus ille errore fuerit inventus: certe rerum convenientiam numerus perperam scriptus non redarguit. Locus autem ille

apologum Alcinoi tam aptâ serie tamque in summâ brevitate integrum complectitur, ut ne alius quidem diversitatis oriri suspicio possit. Quod Rhetoricorum testimonio efficitur, Aristotelis Odysseam in versum ψ, 296. certe non desiisse, idem in cumulum Platonis citatione confirmatur, qui de rep. II. 387 A. allatis versibus 6—10 rhapsodiae ultimae Homero suo locum vin-
71 dicat, quem vetusti poetae haberi non homines, non Dii concessere. Denique quod de extrema parte Odysseae, idem de aliis quamvis suspectissimis locis praestare possumus; nam ne undecimae quidem rhapsodiae ullus locus teste caret, quos nunc singulos enumerare nihil attinet.

Commentatio secunda. *)

Sententiae veterum de Homeri patria et aetate accuratius digeruntur ad redarguendum errorem opinionis, quae de secta s. schola est Homerica.

I.

De quaestionis vi et condicione narratio.

Quae plurium Graeciae civitatum de Homero cive fuit contentio, jure 3
illa agitata inaequali, studiis iisdem, de ea jam in fasciculo priore Meletematum, quem de historia Homeri exhibuimus, inde a pag. 103. multa varie disputata exstant. Inducenda ista disputatio fuerat, non quo jus urbium expenderemus, sed ut studia earum in quaestionis historicae usum et quasdam veteris memoriae vindicias converteremus. Quum enim de instituti mei ratione illud incidisset demonstrandum, carmina Homeri jam ante Pisistratum multarum civitatum usu et comprobatione floruisse: primum urbes percensebam, quibus locus inter contendentes praecipuus et ex subscribentium auctorum aetate praerogativa quaedam debetur, easque Homerum ejusque carmina jam ante Athenarum operam iis studiis institutisque coluisse docebam, ut nulla esset probabilitas, Athenis quidquam esse novatum, quod a ceterae Graeciae usu multum discreparet; neque aut rhapsodos Atticos peculiari arte insignes ferri aut in exemplis carminum Atticis ab auc-

---

*) Edita est ineunte a. 1834.

4 toribus aliam differentiam notari, atque quae justae editionis esset et si
quae fuissent interpolationis indicia. Verum enim vero ista ex urbium stu-
diis argumentatio longiori implicanda erat disceptationi. Nam de Pisistrato
quidem facile vincebam. Cujus operâ Iliadem et Odysseam non esse com-
positas, sed pridem exstitisse integras, explosis jam dudum falsi nominis
diasceuastis, *) vel eâ aetatis comparatione praestabam, quae a Wolfio ejus-
que aemulis omnino erat neglecta. Conferebam praeter Argivorum, Chio-
rum, aliorumque rhapsodos Theagenem maxime Rheginum, qui Pistratida-
rum operae aut suppar aut aequalis doctis jam curis in Homeri carmina
commentatus esse perhibetur; ut literatae aetatis commercia agnoscas. Hac
igitur testificatione tantum videri poterat esse effectum, ut quod Wolfius
rhapsodiae Panathenaicae et Pisistrato tribuisset ad aetatem remotiorem et
civitates Asianas rejiceretur. Ego vero eo non contentus, sed vindicias
meas, si quâ fide possem, ultra persequens, *ex illa urbium contentione,
ex Homeridarum munere et opera, ex discrepantia quae de aetate Ho-
meri fuisset, ex aemulis poetae, ex carminum denique quae Homeri esse
habita essent numero ac virtute, si omnia ad historiae legem exigeren-
tur, nihil aliud colligi censebam licere, quam unius memoriam Homeri,
quem creditum Iliadis et Odysseae poetam, quum novae artis principem
multi aemulati essent, vulgi quaedam sed parum constans opinio aliorum
quoque carminum auctorem sumpserit, studiis vero et honore ob Iliadem*
5 *potissimum et Odysseam multae prosequutae sint civitates.* Multum sus-
cipienti ipsa rei difficultas animum faciebat. Nullum enim locum a Wolfio
satis exactum videbam eorum, quos antequam judicares exactos oportuit;
et, in quo plurimum versabatur, didiceramus traditis rectius uti, neque

---

*) V. nunc Lehrs de Aristarchi studiis Homericis p. 349. [Errorem manifestum etiam nunc a quibusdam propagari, ut ab Ulrici Hist. poes. gr. I. p. 255. vehementer miror. Animadvertant tandem, diasceuastas non eos a quoquam dici, qui opus perpolivissent aut interpolationem sustulissent, sed illos, qui ipsi primam ac genuinam formam carminum interpolatione corrupissent. Id quod res est de mea sententia docuit Baumgarten-Crusius in annot. ad Guil. Muell. libell. qui inscribitur Homerische Vorschule, a se repetitum, p. 72.]

spernere vel admittere auctores ad probabilitatis arbitrium, sed revereri simul et probare testantium fidem, discernere eorum aetates opinionumque progressus, existimare facultatem animum diligentiam, excutere sententias, recludere operta, vestigiis insistere, manca aliorum supplementis reficere, denique et singula expendere momenta et pluribus apte collatis totum conficere. Ita factum est, ut Wolfii, *θείου ἀνδρὸς*, inventa nunc retractaret sive σώφρων sive minutulus, ne quisquilias quidem dedignatus excutere, si verum erui posset. — Suscipienda erat pugna maxima cum adversariis, qui illâ quae vetus ac nativa videbatur famae de patria et aetate Homeri inconstantiâ ad efficiendum contrarium uti assueverant, atque ego verum habebam. Ego quum reperissem famam de Homero non antiquitus ex obscura ejusdam aetatis memoriâ traditam, sed initio simpliciorem temporum demum progressu maximeque singulorum doctorum hariolationibus distractam esse et perturbatam: de aetate testimonia ad minimum redigebam, urbes vero ad juris condicionem diversissimas commune habuisse videbam studium Homeri. Adversarii contra urbibus juris fere tantumdem concedebant, controversiae autem isti famaeque varianti sectam potius epicorum, similiumque carminum, quae aliquando in unum Iliadis vel Odysseae corpus coirent, fabricam quandam et usum subesse sibi persuaserant, quam veram de unius poetae patriâ et aetate discrepantiam. Vixisse ajebant fortasse principem aliquem poetam, qui novae artis exemplis epicorum studia excitaverit et in 6
eam vocaverit aemulationem, quâ tum ipsius opera eodem quasi filo pertexerent, tum suopte ingenio seorsum similia exhiberent. Ita quum per Asiae oras atque insulas variis in locis sive singuli ex eodem genere poetae sive scholae epicorum floruissent: accidisse fere idem quod in Hercule, vel Daedalo, vel Orpheo, ut quae multorum et longioris alicujus aetatis essent, uni mancipata sint, et epicorum illa et operis Homerici secta vel scholae plures in unum coaluerint nomen Homeri. Haec disertissime exposita exstant in Guil. Muelleri libro vernacule scripto, cujus index ***Homerische Vorschule***, inde a p. 57 usque ad 60; sed precrebuerunt similia plurimorum vocibus et scriptis. *) Scholarum enim ista epicarum opinio, quum callide

*) [Idem fere Welckerus de cyclo p. 121—129. sed ratione nova atque a Wolfianorum dissidente statuit. v. infra.]

inventa famae discrepantiam, desperatam olim aut temere habitam, una
omnium optime componere videretur, mirifica quadam dulcedine doctorum
animos occupavit, eamque commendationem habuit, ut non solum ab Ho-
mero ad Hesiodum, ei ut videbatur opportunissimum, propagaretur, sed vix
sibi quisquam de generis poesios inventore aliquo satis intelligenter sta-
tuisse videretur, nisi vocabulum ejus in sectae significationem diluisset.
Nempe juvat et melli est ingeniosum haberi et ad principum virorum nutus
docilem. Novissimo, quod memini, exemplo *Nic. Bachius* Callini nomen
elegiacorum familiae dispertivit, nullâ usus ne specie quidem probabilitatis.
An e Callini nominis notatione id ullâ probabilitate colligimus, quod ex
Terpandri, Stesichori, Eunomi non licere, quivis consentit? Haec ipsa no-
7 mina, testatissimae memoriae lyricis ex eo quod agerent inventa, luculento
documento esse debent, quam per sese nihil nomina vitae et arti cujusque
congrua efficiant ad generis vel sectae suspicionem confirmandam. Rursus
autem nomen abhorrens non prohibebit a sectae suspicione, si modo prin-
cipem unum, a quo secta proficeret, exstitisse aliquando non omnino neges.
Sed id si negaveris, tum necesse erit nomen demonstres ex opere et arte po-
situm idque proprium nulli, commune multis. Qualis *Göttlingii* nuper sus-
picio fuit de Hesiodo, quum ejus vocabulum, ex ἵημι et ὁδὸς confectum,
quendam quasi ἡγεμόνα ὁδοῦ denotare vellet. *) Quam etymologiam, post alia
lepida ab Etym. M. 438, 24. simpliciter aggregatam sine interpretatione,
maxime propter contortos explicatus virum eruditissimum citius etiam
spero abjecturum, quam alia sat multa, quae in opusculo deproperato festi-
nantius posuit, ut Thraces et Graecos permutatis literis eosdem, Pegasi in-
terpretationem, alia. **) Proinde vir eximius et sectae Hesiodeae, si rem
serio pertractasset, haud contemnendus auctor, se saltem eo recipiat, ut He-
siodum vere aliquando vixisse ac viguisse credat poetam inter scholae di-
dacticae alumnos nobilissimum. Eum enim tenere licebit, quamvis diver-

---

*) Praefat. ad Hesiodi carmina ed. Gothae a. MDCCCXXXI. p. XII.

**) Interpretatio nominis una suppetit haec: *editor viae.* Sed metaphora vocabuli ὁδός ista quae subesset, non modo ab exemplis destituitur antiquioribus, sed omnino ob ipsam notionis inanitatem incredibilis quaedam est.]

sum quid clueat nomen. Neque magis de Homeri nomine nobis laboran-
dum putabimus. Id veterum quidem nemo ab arte et laude poetae propriâ
repetiit: qui ex Melesigene Ὅμηρον appellatum ferunt, aut Cumaeorum dia-
lecto postquam oculis amissis duce opus habuerit, aut quia Smyrnaeis con-
sultantibus omen acclamasset, aut quia Lydis Smyrnâ cedentibus comitem
se jungere maluisset, aut quia obses esset datus. At nostrâ aetate, altero
post edita a Wolfio Prolegomena anno, *Davides Ilgenius* praec. mihi 8
summe rever. in praefatione ad hymn. Hom. a se edit. p. X. Homerum
ipso nomine quod ab ὁμȣ̃ et ἄρω ductum appellativum esset, classem potius
poetarum quam unum poetam referre censuit. Suffragati sunt multi, et
consentaneum erat, ut suffragarentur quicunque Iliadem et Odysseam non
ab uno forsitan inchoatas ab aliis pertextas esse, sed e rhapsodiis (haud
veri nominis), quas varii poetae seorsum progenuissent, sensim conflatas
sumebant. Nunc, postquam plerique omnes tantum intellexerunt, non
potuisse hanc, quam videmus, carminum illorum complexionem effici, nisi
unus aliquis princeps atque architectus totum quoddam instituisset, quod
aliorum supplementa reciperet; nemo non, quem necessario admisit operum
principem, etiam eo nomine vocitatum esse patitur, quod plane proprium
ἀπὸ τȣ̃ ἑτοίμȣ non possit explicari. Nos denique, qui Homerum non minuto-
rum epylliorum poetam, cujus exordia aemuli pertexuerint, sed perfectorem
habemus operum majorum quam priores exhibuissent, *) nos utramque con-
dicionem facile accipimus, prout etymologia alterutram confirmaverit. Si
etymi ratio satis evinceret, poetam nomen ab arte invenisse, ea auspicia lu-
bentissime amplecteremur. **) Neque enim Stesichori reliquorumque quos

*) V. Meletem. Fasc. I. p. 112. cll. p. 121. et Praefat. ad Animadv. in Hom. Odysseam T. II. p. XVIII sqq.

**) [Welckerus eam Homeri imaginem amplexus, quam ego primus informaveram extuleramque (v. Melet. I. p. 112. et Encyclop. Halensi s. v. Odyssea p. 400.) his tum usus verbis: „Längst hatten Sänger, dem Phemios und Demodokos der Odyssee ähnlich, in Äolien, welches die Pierische Poesie erbte, und auf den Inseln einzelne Heldensagen in kleinern Epyllien gesungen, als ein Homeros (der Name bezeichnet die Kunstübung) die Ilias, und ein Homeros die Odyssee durch ihre

supra diximus memoria eo evanescit, quod nomina eorum aut omen habuerunt aut spectatae artis hominibus ex re addita sunt. Ac memoratu profecto dignissimum, quod urbium fabellae magnâ cum constantiâ poetam
9 primo aliter nominatum postea demum Homerum vocari coeptum esse tradunt. Ergo, si modo expeditum satis esset etymon, a ficto nomine nihil metueremus; ficta enim nomina ita demum suspicionem habent, si aliae rationes accesserint, ut quum stemmata tota ex facticiis nominibus conserta videmus, iisque Homerum cum Orpheo et Lino copulari, quod absurdissime fieri constat inter omnes, qui Lobeckii disputationem Aglaoph. p. 322 sqq. rectius intellexerunt quam Bernh. Thierschius de aetate Hom. p. 85, aut omnino poesis Graecae historiam cognitam habent. Haec sufficient ad demonstrandum, cur nominum etymis nihil tribuerim. Verum ego mihi omnino persuaseram, istam de sectis s. scholis epicorum hariolationem, a nemine satis exactam ac perpensam, tum ab ipsa notionis informatione, tum a ratione et constantiâ defendentium, tum ab historiae fide funditus laborare. Quodsi inconstans et rei incomprehensae et vocabuli parum exacti usurpatio, quae recentiorum est, accurate quaerenti saepe incommoda accidit: ego certe illud firmiter teneo, antiquitatis vel testimoniis vel notitiis nihil praestari posse, nisi quum epicis nobilissimis opinione quadam similitudinis plura tributa esse carmina, tum eorundem praestantia factum esse, ut aemuli exstiterint, qui et artem imitarentur et argumenta tractarent ex eodem fabularum ambitu finitima; quam si sectam recte dicas, tamen poetas tempore locisque dissitos nullâ consectationis perpetuitate contineri; Homeridas autem Chios, quum perpetuitatem praeferant quandam, poetas certe non dici, nisi forte prooemiorum, sed rhapsodos citharoedosve. Quum autem et res

---

Acte hindurch zur Einheit gestalteten. Wetteifernd mit diesen Mustern versuchten Andere von den ersten Olympiaden an andere Partieen der Troischen Sage zum Eindruck eines Ganzen zu verknüpfen" — hunc igitur Homerum et ipse amplexus Welckerus de cyclo p. 125—131. poetam nomen illud (des Zusammenfügers) ex ipsa arte invenisse, qua epyllia vel fabulas sparsim a prioribus celebratas in unius operis congruentiam comseruisset, fortiter contendit efficere. De quo cur etiam nunc nonnihil dubitem, in hujus capitis epilogo dicam.]

ita ferre videretur et *Welckeri* maxime suspicio hoc flagitaret, quaestioni, quam de schola Homerica susceperam, implicabam alteram de Hesiodea (v. Meletem. I. p. 119 sqq. praecipue p. 122—126). Vellem autem duo, quae cautionem quaerentibus religionemque injicere debent, magis extulissem. Primum enim quis dicere ausit, adhuc a quoquam de sectâ Hesiodeâ ad historiae fidem disputatum esse, quum earum quaestionum, quibus ea fides conficitur, nulla transacta sit? Adhuc enim qui historiam Hesiodi criticam vix inchoatam dixerit, iniquius 10
de doctorum virorum meritis statuere non videbitur; quamvis multum quum aliis tribuas tum *Muetzellio*, qui *de emendatione Theogoniae Hesio-* 11
deae nuper ea persequutus est, quae judicium a me Meletem. 1. p. 124. positum egregie confirment. Si egregio huic juveni obtigerint, qui paratis ab eo copiis recte utantur, exemplum imitentur: tum spes est certius nos aliquando de Hesiodo esse decreturos. Quae vero ad judicandam sectae Hesiodeae caussam maxime requirimus, haec fere sunt. Primum quaerendum, qui auctores aetatem Hesiodo variam constituerint, et quid quisque sequutus, suine animi studia et hariolationes an historiam; deinde, a quo et quando quodque poema Hesiodo tribui coeptum sit; denique, reliquiae carminum per quas vicissitudines ad nostram notitiam sint delatae. Si quis me requirere caussetur, quod impeditissimum sit factu, aut nunquam praestari posse videatur: facile concessero, Hesiodi memoriam caussamque longe implicatiorem esse quam vel Homeri. At multo plus effici posse, quam adhuc effectum sit, quum nemo neget, jam etiam dispicere videmur, quaestio diligentior quanto ad minorem numerum Hesiodi carmina revocatura sit, quam Pausaniae ille recensus exhibet IX, 31, quantumque omnino mutatus poeta Boeotius exiturus sit ab eo, quem corrasae undecunque reliquiae et recentissimi cujusque scriptoris notitiae praebent. Utantur, qui hoc quale dicam parum existimant, interim exemplo Orphei, et agnoscent, quantâ excipientium sese scriptorum sedulitate nomina semel nobilitata carminum inventorumque multitudine aucta sint. Idem vero Orpheus alterius admonet, quod eum, qui recte h. e. libero satis animo quaerere voluerit, tenere oportet. Plurimus in historiis usus est analogiae, mirâque
proclivitate quod in uno demonstratum est ad alterum transferimus. Atqui 12

at in quaestionibus Homericis ultra historiam remotis analogiae usus justissimus habendus est,

magnopere cavendum a similitudinis fallaciis. Parum considerate rhapsodiae usus publicus ad omnia epicorum carminum genera opinione translatus est; incautius etiam didascalia tragicorum communicata cum epicis et lyricis poetis eorumque sequestribus; eadem temeritate, quum melicorum sectas et disciplinam quandam fuisse aut testatum habeamus aut magna sit probabilitas, similis disciplinae opinionem ad epicos quoque et rhapsodos viri docti propagarunt; [nec denique non inaniter Welckerus trilogiae rationem etiam epicis impertire voluit, si quidem vanum est artis eam formam statuere, quam neque poetae singuli concipere, neque auditores sentire potuerunt] Quod si analogiae usum saepe generum proprietas reprobat, etiam singulorum poetarum similitudo non raro eo fallit, quod quae initio diversitas fuit postea obliterata est, et quae adsciticia est nativa videtur species. Exemplo sunt Orpheus et Linus, qui quum progredientis aevi commentis pragmaticorumque industriâ in eam similitudinem essent effícti, ut vatum Thraciorum genere et nomine tralaticio censerentur, nunc, postquam Orphei memoriam *Lobeckius*, Lini *Ambroschius* et *Welckerus* *) diligentius persequuti sunt, immane quantum differre inter se reperiuntur. Omnis igitur historiae sanitas in eo sita est, ut testium aetatem fidemque pensitemus, et omnem famam ad nativam integritatem revocare studeamus. Quam curam cautionemque si Homeri Hesiodique historiae adhibeas, vereberis quae in alterum conveniunt, in alterum continuo transferre (v. Melet. I. p. 150 sq.); non minus autem ab omni decreto abstinebis, ubi ignoratio necessaria subeunda videtur. [Desciscunt autem ab hac cautione ii quoque, qui Hesiodi Theogoniam, quasi integra et incorrupta ad nos perlata esset suo magis artificio beant (v. Klausen. in Mus. Rhen. a Welckero editi III. 3.); integra esse ad nos perlata Opera et Dies quidem asseverare ausim.]

13 Persequuti sumus hanc admonitionem luculentius, quia neglectus eorum, quae disputavimus, verae historiae plus officere videtur, quam ulla alia caussa. Nunc ad ipsum, quod huic scriptioni propositum est, propius

---

*) De Lino dissertatio, quam ad consequ. — summos in philos. hon. conscr. Jul. Athan. Ambrosch. Berol. MDCCCXXIX. Welckeri disp. exstat. in Diar. scholast. a. MDCCCXXX. pl. 2—5.

accedamus. Erit autem hoc disputationis, quâ in fasciculo priore unius
Homeri memoriam vindicare studebamus, corollarium alterum. Quod ut
argumentationi nostrae recte inseratur, porro admonitione quadam cavebi-
mus. Disputationis illius, cujus pondus fere section. XXIII. XXV. et
XXVII. continetur, tria fuerunt argumenta. Primum (v. p. 111.), ad Ilia-
dis et Odysseae integritatem ab ipso poetâ repetendam pertinens, hoc fuit:
veteres Homero, si a ludicris quibusdam et hymnis discederes, nulla alia
tribuisse carmina, nisi quae actionem primariam haberent et totum confice-
rent. Auxit ejus argumenti vim egregia, si ubertati pepercisset suae,
Welckeri dissertatio (in Diar. scholast. a MDCCCXXXII. pl. 14 sqq.),
quâ Epigonos non partem Thebaidis, ut ego olim cum Lobeckio aliisque
statueram, sed carmen suis finibus et proprio argumento integrum fuisse
aut evicit aut admodum probabiliter censuit. *) Alterum argumentum in
aemulorum poetae ratione versabatur, quos demonstrabam alios belli Tro-
jani actus in similem actionis integritatem composuisse, et carmina ea ex-
hibuisse, quae simul imitationis simul discrepantiae indiciis Iliadem et
Odysseam jam antea consummatas exstitisse probarent. De carminibus au-
tem istis quo certius constaret, eorum complexio omnis accuratius expo- 14
nenda erat; id quod posthac fecimus in primo quasi corollario h. e. in
disputatione *de Aristotele contra Wolfianos*. Sed aemulorum attinebat
etiam patrias percensere. Has reperiebamus neutiquam easdem esse urbes,
quae de Homero contendisse dicerentur; sed, quum in Samo insula vixerit
Creophylus, in Lesbo Lesches, Arctinus perhibeatur Milesius, Hagias

---

*) Alterum, quod illi disputationi inest, Alcmaeonidem nomine ab Epigonis differre, re idem fuisse carmen, mihi quidem minus probavit V. D. [Idem in libro, quem de cyclo epico s. de poetis Homericis scripsit, meam illam sententiam, quam de Iliade et Odyssea a primo auctore ad eam quam videmus formam descriptis et de comparandis ceteris carminibus quae Homeri aliquando a quibusdam habitae sint defendo, novo modo atque ita persequutus est, ut Homeri nomen quasi commune usurparet omnibus, qui Iliadis poetam aemulantes integras fabulas fecissent. A quo assertore ac socio quid etiam nunc mea sententia distet, in hujus capitis fine dicam.]

Troezenius, unum relinqui videmus Stasinum Cyprium, qui Homeri aemulus tali in urbe exstiterit, quae in contendentium numero esset, [hujus autem ipsius carmen, quod Homero potius tribuere maluerint, caussam fuisse, cur Cyprii Homerum suum facerent.] Ergo hi aemuli diversissimis in urbibus singuli famam quidem laudemque Homeri longe lateque pervagatam testari reperiebantur, sed neque ipsi consectationis ullum vestigium monstrare, neque ei suspicioni adminiculo esse, qua pro uno Homero secta poetarum Iliadem et Odysseam consummasse putaretur. Accedebat in easdem vindicias tertium argumentum, quum illud disputaremus, quid ex memoria urbium, quae Homerum sibi civem vindicarunt, eorumque institutis justâ consequutione duci oporteret; scholaene Homericae in illis urbibus reperirentur, quae Iliadem et Odysseam initio breviores supplementis auxerint, an ejusmodi tantummodo instituta, quibus poetae memoria honestaretur et celebrarentur carmina. Venire videbantur in eam quaestionem prae ceteris Smyrna, Colophon, Ios et Chios, quarum condicionem nunc cum supplemento quodam demonstrabo.

14—18 [Attinere enim videtur, ne quid neglexisse videar, ut simul ea Aeolidis Ioniaeque oppida percenseamus, in quibus Homerus aliquando commoratus carmen aliquod fecisse vel exhibuisse tradi videtur, si Pseudoherodoto aliquam fidem habemus. De qua fama ejusque auctore ut nunc paullo copiosius disseram, quam in priore editione hujus commentationis feceram, Welckeri disputatio invitat, quem in eâdem qua ego secta versantem quum in universum non possim non probare, tamen Pseudoherodoto tantum tribuere video, quantum cautiorem vix oportet. *) Quodsi ego per-

---

*) Welck. de cyclo p. 136 sqq. et al. Multum quaesivi, ecquo indicio satis intelligere possem, Ps. Herodotum antiquioribus usum esse auctoribus. Sed primum versiculi et poematia, quae affert, omnia antiquitatis notam parum referunt. Deinde mihi omnino illud magis curasse videtur, ne similitudine aliorum mendacii furtique argueretur, quam ut bonos auctores adhiberet. Ex iis antiquioribus, quos Tatianus (v. infra) recenset, Theagenes de Homeri poesi commentatus erat, num de genere ac vita, non liquet. A ceteris, quorum reliquias videmus, plerisque omnibus Ps. dissentit, et maxime de ipso Homeri stemmate. Unum Melanopum,

motus iis rationibus, quas in nota complexus sum, neque antiquiores auctores Ps. Herodoti satis agnosco, neque urbium fabulis vernaculis quomodo usum dicam satis habeo, nihil isti scriptori tribuendum puto, nisi ut διδασκάλους illos animadvertamus γραμμάτων; et quum de his tum omnino de Aeolide ejusque vicinia veterem aliquam famam fuisse agnoscamus. Sed videamus singula. Ordiamur ab ipsa Smyrna. Hanc verbo nominasse sufficiebat. Quae quamvis multis magnisque monumentis ac studiis locum inter urbes contendentes tueatur (Strab. XIV. 646. s. 184. Paus. VII, 5, 6), de secta tamen Homeridarum ne suspicandi quidem animum facit. Nam, ne quid dissimulasse videar, est quidem aliqua ap. Nicolaum Dam. p. 50. (v. Creuz. hist. gr. fragm. p. 201.) narratio de poeta epico Smyrna oriundo; sed quum fabularis admodum et coloris plane novicii tum ea, quae poetam historicum potius quam Homeri aemulum exhibeat. Apud Pseudoher. c. 3 extr. Homerus, quum oculis captus ex itineribus Smyrnam revertisset, οὕτως ἐπιχειρεῖ τῇ ποιήσει. Quid carminis primum fecerit, eo loco non adjicitur; verum quid meditatus fuisse dicatur, sequentia docent. *) Certe mox poeta quum propter egestatem Smyrnam reliquisset in oppido Neonteichos dicto hymnos in deos et Ἀμφιάρεω τὴν ἐξελασίαν τὴν ἐς Θήβας exhibuisse dicitur (τὴν ποίησιν αὐτοῖς ἐπεδείκνυτο, non ἐποίησεν), quod Thebaidis nomen fuisse alterum Welckerus vidit (de cyclo p. 201). Licet auctori quamvis levi tantum praebere fidei, ut Thebaidem in Aeolide compositam esse, si non 14—18

---

avum poetae, consentiens cum Procli auctoribus ponit, sed hujus de majoribus rursus dissidet. Non magis ei cum Ephoro recte convenit. Habet quidem Cumam et Smyrnam et Phemium sicuti ille, facit etiam in Chii oppidulo, Bolisso, aliquando commorantem ut Ephor. ap. Steph. s. v. ceterum quum de stemmate tum de aetate alia omnia statuit. Nam Ephorus, nisi iis credidit, qui Homerum Lycurgo aequalem vixisse voluerunt (Strab. X. 482 s. 382) certe parum probabiliter eorum quae Ps. in fine adjecit auctor habetur, quasi annum poetae natalem ad Smyrnae primordia rejecisset. Neque de Hesiodo quidquam Ps. quem Ephorus Homero una aetate majorem posuit.

*) Guil. Mueller. Init. Homer. p. 183 (p. 151. ed. II.) parum sane accurate narrat ex Pseudoherodoto; sed quae Welcker. de cyclo p. 180. eum notat quasi ipse statuerit, ea tanquam aliorum refert.

14—18 confidenter credamus, certe jactatum fuisse putemus (de quo pluribus dicetur in Comment. IV). Ab Neotichensibus quum Homerus Pseudoherodoti ad Cumaeos perrexisset, ibique in leschis (conciliabulis) carmina pronunciasset, mox Phocaeam pervenit, Cumaeorum in finibus conditam. In hac urbe, quum Thestoridis, qui sicuti Phemius Smyrnaeus *διδάσκαλος γραμμάτων* appellatur, frueretur hospitio, Iliadem parvam et alterum quoddam carmen, Phocaeidem composuisse narratur (c. 7). Si carmina quaerimus, Phocaeidis alibi nusquam commemoratae notitia nobis non plane intercepta esset, si recte conjiceret Welckerus idem fuisse, quod Minyadis nomine Pausanias saepius laudat (v. supra Comment. I. sect. VII). Is scriptorem Minyadis IV, 33, 7. ponit Prodicum Phocaeensem; hinc suspicio ista ducitur (v. de cyclo p. 248. 253). Sed enim et Phocaeis aliis ut O. Muellero urbis primordia potius habuisse videtur, neque de Minyade me ejus sententiae poenitet, qua mystico eam generi et ei aetati assignavi, quae longe alios poetas vidit, atque quales Homeri aemulos censemus. V. Lobeck. Aglaoph. 360. et Melet. I. 97. Jam Phocaeidem si sumimus ab ipso Thestoride factam, etiam Ilias parva intelligimus quomodo sive Homero sive Thestoridi (ita enim schol. ad Eur. Troad. 822) attributa fuerit. Thestorides Phocaeensis patriarum rerum poeta praeter suum carmen Iliadem parvam et apud suos et in Chio pronunciasse videtur primus; Chii autem Homeridae quum ab eo Iliadem parvam accepissent, mox Homeri eam haberi maluerunt. Sed fuit fortasse apud Phocaeenses et istic viciniae nimis robusta altera opinio, quae Iliadem parvam propter pronunciandi usum Thestoridi tribuebat; idcirco Chii non in eo acquieverunt, ut Thestoridem carmen ab Homero hospite accepisse narrarent, sed eundem per malignitatem quandam (*ἀνὴρ οὐ κρήγυος*) in veri poetae locum irrepsisse adjicerent. Plura de Thestoridis condicione in commentatione quarta disputabo. — Harum igitur urbium cives quum nihil sibi sumpsisse reperiantur, nisi ut Homerum aliquando apud se commoratum esse et certa quaedam carmina exhibuisse locis quibusdam in eam memoriam consecratis (didascaleis) testarentur: ne Colophonii quidem suae urbi plus vindicasse videntur. Et hi quidem Margitam in testimonium adhibebant (v. Melet. I. 104 seq.), *)

*) [Usus est meis istis Welckerus de cyclo p. 184.]

similiter id quidem atque Chii alia ludicra, et fere quaeque urbs poematia 14—18
quaedam obscurae memoriae quasi ab Homero apud se facta memorabat, ut ambitionis fidem faceret. Praeter Margitam Nostos a Colophoniis usurpatos dicerem, si aut de Colophonio Nostorum auctore satis constaret (v. Comment. I. sect. VI.), aut Nostos Homero alius tribueret praeter Suidam (v. Comment. IV). Summotis ita ceteris urbibus duae supererant, Ios et Chios, e quibus maxime Chios propter Homeridas eam speciem habebat ut scholam Homericam aluisse videretur, cujus alumni Iliadem et Odysseam imitando et interpolando enutriverint. Eam speciem vanam esse longiore disputatione, quae sect. XXV—XXVII. continetur, demonstrasse videbar. Sed quoniam ea sententia qua Homeridas gentis civilis loco habendos censebam, quibusdam nuper impugnata a Boeckhio in ejus quam ipse impugno similitudinem attemperata est, atque ipse denique nunc habere videor, quod rem rectius etiam componat, de Chiis illis et de Ietarum fama denuo dicendum est. Ac primum *Baumgarten-Crusius* quod in Introd. ad Guil. Muell. Init. Homer. p. XXXII seq. istam sententiam ideo parum probabilem esse censet, quod gens, et fortasse optimatium quaedam, certe alium principem sibi et eponymum praefectura fuerit, neque testimonia satis animadvertit, neque omnino gens quid esset bene reputavit. De quo nunc abunde poterit doceri et a *Christ. Ludov. Bosslero* (de gentib. Atticae sacerdot. Darmstad.) et a *Meiero* (de gentilitate Attica lib. singul. ed. Halis 1835. praecip. p. 29 et 33). Et testimonia quidem (ap. Harpocrat. s. v. Homeridae, *) Strabo XIV. 645. s. 182, et vitarum scriptt.) tantum praestant, vixisse in Chio insula gentem, quae Homeridarum appellaretur. Ultra autem duplex quaestio est, altera, quaenam ex pluribus formis, quae

*) Melet. I. 128. erravi Acusilai sententiam dispescens ab Hellanici, nam verba: *Ὁμηρίδαι γένος ἐν Χίῳ, ὅπερ Ἀκουσίλαος ἐν γ΄, Ἑλλάνικος ἐν τῇ Ἀτλαντίδι, ἀπὸ τοῦ ποιητοῦ φησιν ὀνομάσθαι*, haec sane non possunt aliter intelligi, nisi ut uterque auctor a poeta ipso Homeridas nomen duxisse tradiderit. Acusilaum autem sine dubio citaverat Hellanicus. Atque ego quidem Acusilai librum posthac demum, quum interpolatione corruptus esset, a posterioribus pro spurio habitum esse suspicor.

14—18 gentium fuerunt, in Homeridas cadat, altera ad quamnam aetatem eorum memoria pertineat. Prior quaestio a **Boeckhio** in Indice lectt. aestiv. a. 1834. non amplius dirimitur, quam quod sua illos habuisse sacra, quibus gentis ratio maxime censetur, ex Cratetis apud Harpocr. mentione apparere putat. Haec autem ille: „Quodsi sacra gentis desideras, nonne ea agnoscuntur verbis Harpocrationis utcunque explicandis, *Κράτητα νομίζοντα ἐν ταῖς ἱεροποιΐαις Ὁμηρίδας ἀπογόνους εἶναι τοῦ ποιητοῦ!*" — Parum perspicue haec vir summus, neque vere, si id voluit, quod Welckerus de cyclo p. 161. interpretatur: ***die Homeriden in den Opfern, der Genossenschaft nämlich.*** Desideramus articulum *τοὺς ἐν ταῖς ἱεροπ.*; qui quum absit, manifesto intelligitur *ἐν ταῖς ἱεροπ.* dici citantium more, neque hunc Cratetem Mallotem esse, sed Atheniensem *) eum, qui et de dialecto Attica et *περὶ τῶν Ἀθήνησι θυσιῶν* scripsit (v. schol. Arist. ad Equit. 725. Apostol. Prov. XXI. 24). Harpocratio fortasse *θυσίας*, illas nunc *ἱεροποιΐας* appellavit, si quidem apud ipsos Athenienses *ἱεροποιοὶ* publica sacra curabant *μετὰ μαντέων* (Bekk. Anecd. 265). Veriorem hanc interpretationem testimonii praeivit ***Bernhardy*** in Hist. liter. Gr. I. 229. idemque recte negat verbis illis quidquam inesse, unde Homeridarum rationem domesticam certius cognoscamus; in Athenarum enim sacris quum versaretur Crates, sine dubio tantummodo rhapsodiae eorum mentionem fecisse. Nihilominus quae proponitur quaestio, qui factum sit, ut Homeridae Chii praeter alios nobilitarentur rhapsodos, ea adhibita aliarum gentium similitudine ita videtur componi posse, ut ad gentis civilis rationem proxime accessisse videantur. Non amplius eos cum Lycomedis vel Butadis comparemus, qui jure gentilicio certis sacris operabantur; sed Eunidarum similitudinem etiamnunc tenere licet. Fuit horum publica in sacris opera multiplex, ut qui et citharoedi, et saltatores (Hesych.) et praecones perhibeantur. Sed nemo auctor officia eorum certis sacris assignat. Pollux On. VIII, 103. quod eos praecones *περὶ τὰς πομπὰς* fuisse refert, certe unam aliquam sollemnitatem dixisse non videtur. Neque aliter Harpocr. reliquique glossographi de eorum ci-

---

*) In scriniis *Prelleri* mei dissertatio delitescit, mox in lucem proditura, quae scriptores cognomines accurate discernit.

tharoedia: *κιθαρῳδοὶ πρὸς τὰς ἱερουργίας παρέχοντες τὴν χρείαν.* Agnoscimus eos 14—18
sacrificiis vulgo adhibitos, sed usu tralaticio potius quam praerogativa hereditaria. Commodabant officia sua libere et prout expeterentur, similiter atque Delii illi, de quibus Athen. IV. 172 F. *ὅτι μαγείρων καὶ τραπεζοποιῶν παρείχοντο χρείας τοῖς παραγινομένοις πρὸς ἱερουργίας, καὶ ὅτι ἦν αὐτοῖς ἀπὸ τῶν πράξεων ὀνόματα* rel. Ejusmodi officia et artes saepe aut in familiis quibusdam evaluisse videntur, aut non iisdem parentibus natos sodalitio quodam conjunxisse, ut sibi quasi genti eponymum ex arte reperirent. Quodsi Homeridas Chios ab ipso poeta genus non magis duxisse credimus, quam Talthybiadas Spartanorum praecones a Talthybio (Herod. VII, 134), Asclepiadas ab Aesculapio, Pamphides feminas (ap. Hesych.) a Pampho poeta (v. Preller Demeter u. Perseph. p. 384); artem eorum, quae gentiliciam iis speciem et eponymum addiderit, non poesin ulla cum probabilitate interpretabimur (id quod egregie arguit Welckerus de cyclo p. 168 sq.), sed rhapsodiam et, si quid de hymnis Homericis recte disputavi, citharoediam. Cultum Homeri herois Chiis publicum fuisse vel ex Alcidamantis illa voce ap. Aristot. 23, 11. et Agonis testimonio intelligitur, quod de theoria Argivorum est. Ejusmodi sollemnia heroi dedicata sine dubio certamen rhapsodiae habuerunt, si quidem certamina citius etiam tribuebantur quam alii honores. *) Sed antequam tale quid fieret, apud Chios rhapsodiam in aliis deorum ludis celebratam oportuit et frequentatam. Quam si primo una familia vere *ἐκ διαδοχῆς* usurpatam aliquamdiu ad posteros propagavit; hi jam non solum facillime Homeridarum nomen induerunt, verum etiam posthac, quum in eam operam alii venissent, ipsi tamen, etiamsi desierant rhapsodiam exercere, id nomen tenuerunt et affectarunt prae ceteris, non secus quam apud Delios illos nomina quae patres ex opera culinaria invenerant, ad nepotes usque pervenerunt. Aetas haec nova rhapsodorum, qui promiscui ex variis familiis essent, Cynaethum prae ceteris no-

---

*) Dies, qui huic certamini sollemnis fuit vel omnino heroi Homero dedicatus posthac, id quod suspicor, ejus natales esse visus est, quem egregie tenet Luciani ille Homerida; v. Lucian. Encom. Demosth.

14—18 bilem habuisse videtur. *) Tali modo omnia quae de Homeridis vel apud schol. Pind. ad Nem. II, 1. vel ap. auctores supra laudatos relata legimus, optime componuntur. Homeridae illi, qui noti Acusilao rhapsodiae operam dare desierant, a Chiis ipsis in fidem adhibebantur, aliis non a poeta sed ex alia etymi ratione appellari videbantur; quorum neutros verum testatos esse arbitramur. Porro, si vere retulit schol. Pindari, Cynaethus in suspicionem interpolandi venit. Quod ita relatum etiamsi quis ita interpretetur, ut formam carminum apud Chios jam ante Cynaethum interpolatione diffictam tum innotuisse putet, et assumserit in eam probabilitatem ea, quae de Homero apud Chios Iliadem et Odysseam vel componente primum vel elogiis urbium augente sunt ap. Pseudoherodotum: tamen ex his omnibus nequaquam poterit ne conjici quidem certius de schola s. διαδοχῇ Chiorum, quae utrumque vel alterutrum carmen sensim procuderit. Componere carmen est unius; interpolare singulorum; sectae continuae neutrum. Compositum a Chio quominus alterum utrum vel utrumque fidentius narremus, Smyrnae maxime fama obstat. Ceterum aetatis, qua Chii Homeridas primum audierint, nota certior non exstat, aut si exstat, ad tempora recentiora citius quam antiquiora rejicimur. Et primum Cynaethum schol. Pindari Ol. 69. Syracusis Homeri carmina pronunciasse tradit πρῶτον. Quod testimonium nisi ita intelligamus ut rhapsodiae certamen justum ac sollemne tum primum esse institutum credamus, certe propter indicia, quae sane plurima Homerum jam diu ante in Italia Siciliaque notum fuisse produnt, non licet continuo aetatis notam corruptam habere, Cynaethumque ad Syracusarum primordia revocare, id quod fecit Welckerus de cyclo p. 243. Aut non minus probabiliter aut facilius etiam illud πρῶτον potius suspectum habebimus, quasi vel temere vel per hyperbolen adjectum. V. Bernh. Hist. lit. Gr. I. 233. Accedit, quod Cynaethum interpolasse Homeri carmina, ne fama quidem exstare ulla potuit, si jam sexta ille vel nona Ol. vixisset. Postremo ipsa de rhapsodo apud Syracusanos ἀγωνισαμένῳ memoria neque ex urbis primordiis servari neque omnino sciri ac perhiberi potuit, nisi aut

---

*) Welckerus de cyclo p. 237 sqq. Cynaethum prioribus infert suopte periculo.

ludorum monumento consecrata aut cum insigniore aliqua re quae in condita pridem et florente urbe evenerit, conjuncta. 14—18
Itaque Cynaethus fortasse vicerat primus; si quidem ne Athenarum quidem rhapsodia Panathenaica (ab Hipparcho) multo ante instituta esse videtur; sin aliquis Cynaethi inter alia mentionem fecerat, alter aliquis adjecerit illud *πρῶτος*. Vindicata ita aetatis nota, alterum, quod Welckerus Cynaethum cum Cinaethone Lacedaemonio miscuit, nihil omnino moramur. — Cynaethus a quibusdam hymni, quem in Apollinem Delium legimus legitque Thucydides (III, 104), auctor esse creditus est; fortasse, quia primus eum divulgaverat. Hymnus autem quod Chiorum testimonium continet 172 sq. *τυφλὸς ἀνήρ, οἰκεῖ δὲ Χίῳ ἔνι παιπαλοέσσῃ, Τοῦ πᾶσαι μετόπισθεν ἀριστεύουσιν ἀοιδαί*, id quum ipsum Welckerus elegantissime enarret (p. 171 sq.), monstrare quidem videtur Homeridas veteri usu carminum Homericorum gloriantes; sed totum hymnum si ad Ol. 48. rejeceris, multum concesseris. Sequitur Pseudoherodoti quae de Thestoride est auctoritas. Qua si ita utamur, ut Thestoridem credamus primum Iliadem parvam ad Chios pertulisse, id quod supra conjecimus; hujus carminis aetatem metimur Leschis nota (Ol. XXX), jam antea vero Homeridas Iliadi majori operam dedisse et Odysseae conjicimus; verum ne hujus quidem conjectationis serie implicatissima ad eam aetatem pervenimus, quae Homericorum carminum prima videri possit. Quodsi convertit nos in hac conjectatione Arctini Milesii, Stasini Cyprii, Creophyli Samii memoria, omni quae de Homeridis adhuc reperta est antiquior; Stasinum ipsum quod multa per levissimae famae adminicula quasi generum Homeri cum Chiis nectunt, id utique levissime fit. Multo autem minor, imo nulla omnino fides est de Creophylo apud Chios degente. Nam schol. quidem Platonis Creophylum Chium appellat, Suidas aut Samium aut Chium; sed si auctores vel multo vel aliquanto potiores conferimus, ambigui esse non possumus nisi inter Samum et Ion insulam (Chrestom. Procli). Et vel de Io est cur dubitemus. Nimis enim promptum erat pragmaticis, ne deesset in Io insula, apud quem Homerus vitam poneret, Creophylum illuc transferre, nobilissimum poetae hospitem. Neque certe Proclus Creophylum alium dixit, quam qui Oechaliam captam fecisset. Verumtamen consistamus in

14—18 eo, ut Chium pro Io per errorem positam esse putemus. *) Suspensos enim tenere debet fama, quae adeo nobilis est de Homero in insula Io sepulto. Optimum igitur factu videtur, ut Creophylum primo in hac insula, post in Samo degisse credamus. Cfr. Wecker. 159. et 222 sq. Ceterum in Creophyli ejusque posterorum memoria omni magna vis est ad redarguendam scholae Homericae opinionem. Is enim, generis princeps, et aemulus Homeri fere unus omnium antiquissimus, non in rebus Troicis, sed in Herculis facinore aliquo versatus esse reperitur, dum Homeri carmina divulgat. Cujus posteros aliquamdiu similiter atque Homeridas Chios rhapsodiae operam dedisse probabiliter quidem, sed conjicimus tantum testari satis non possumus. De nominis etymo quae conjectavit Welckerus, ea neque mihi neque aliis probavit quamvis lepide inventa. Platonis locus de rep. X. 600 B. *ὁ γὰρ Κρεώφυλος, ὁ τȣ̃ Ὁμήρȣ ἑταῖρος, τȣ̃ ὀνόματος ἂν γελοιότερος ἔτι πρὸς παιδείαν φανείη, εἰ τὰ λεγόμενα περὶ Ὁμήρȣ ἀληθῆ* (*ἐστι*, non *εἴη*), sic accipiendus est: si Homerus is fuisset, qui disciplina aliqua ad sapientiam alios institueret, *Creophylus suo nomine inanior etiam ad institutionem videretur* rel. Sic enim *γελοῖος* saepe est *vanus, inanis, irritus* (v. ib. IV. 429 E. *ὅτι ἔκπλυτα καὶ γελοῖα*). Quidquid autem luserit Plato, idem eodem loco sectam aliquam fuisse eorum, qui Homeri nomen et carmina studiis colerent, aperte negat.]

---

18 Complexi sumus hac admonitione, quantum ex tribus illis historiae Homeri locis effici possit. Si opinionem, quae de carminibus Homericis fuerit, quaerimus, nulla ei antiquitas tribuit nisi quae actionem primariam haberent; si aemulos poetae, ne hi quidem singulas facticii nominis rhapsodias exhibuerunt, sed totum quoddam complexi sunt, iique quum in dissitis urbibus et disjuncti aetate viverent singuli; si denique urbes circumspici-

*) Ephori illud apud Strabonem de Lycurgo: *ἐντυχόντα δ', ὥς φασί τινες καὶ Ὁμήρῳ διατρίβοντι ἐν Χίῳ*, famam habet plane diversam ab altera, quae de Creophylo ejusve posteris est, quasi Lycurgus ab iis Homeri carmina acceperit.

mus, in quibus vel natus vel commoratus esse Homerus dictus sit, in Aeolidis et Ioniae quibusdam Thebaidem, Margitam, certa denique carmina composita esse legimus, poetam ipsum a multis expetitum civitatibus, in pluribus herois honore mactatum, carmina denique, quae ejus haberentur, crebro rhapsodiae vel citharodiae usu celebrata esse, maximeque a Chiis. Atqui superest quartus locus, quem nisi accuratius pertractaremus, scholae Homericae assertoribus justa quaedam suspicandi caussa relinqui, uniusque Homeri, quam ego persequor, memoria ne nunc quidem antiquitati satis esse asserta videretur. Non de omnibus urbibus professus sum, quas vitarum scriptores aut Suidas contendentium in numero ponunt, sed de quibusdam. Deinde de aetate Homeri quae testimoniorum discrepantia est, eam ne attigi quidem in prioris fasciculi Meletematis. Utriusque autem famae incertitudine quidam ad multos Homeros fingendos abusi sunt. Et, indiscreta ut erat testimoniorum illorum notitia, poterat res multis modis con-
fingi. Per autem mirum, quod famae ista varietas ita usurpata est, quasi 19
semel nata esset, et vitarum scriptores discrepantis famae voces, quales ex eadem antiquitate propagatae fuissent, nobis nunc enumerarent. Longe id evenisse aliter, nunc altero hoc corollario docebo. Posthac demum, quum, quid historia de Homero uno referat, quattuor locis confectum erit, ad carminum historiam regressi didascaliae si qua est et rhapsodiae antiquissimae memoriam cum historia scriptorum exemplorum committemus. Hujus autem, quam nunc suscipimus, operae otium fecisset *Bernh. Thierschius*, si quaestionem de aetate et patria Homeri ab ea, a qua oportuit, testimoniorum discriminatione esset exorsus. Nunc hac neglectâ in refutandis
opinionibus, quarum levissima auctoritas, plurimum disputationis consump- 20
sit, suam inconstanter et male tutatus est.

Antequam veterum memoriam, quae de uno Homero omnis est, persequar, verbo mihi profitendum de conjectura *Welckeri* p. 128. qua nomen Ὅμηρος quasi *Consertoris* commune quoddam informavit. Mihi semper nomen ita acceptum subtilius quiddam nimisque incomprehensum sonare visum est, quam ut in ora hominum venire potuerit. Lubentius amplector interpretationem, quam post Welckerum *Duentzerus* in Zimmerm. Diar. (Zeitschr. für Alterthumswissensch. a. 1836 fasc. X. fol. 131) protu-

lit; ut ductum ab ὁμός cum mera terminatione-ηρός, retracto, ut in nomine proprio, accentu, *concinnum* fere significet. Requiro enim, quod sentiri a singulis auditoribus potuerit. Bene autem illud quoque admonet Duentzerus, nomina antiquissimorum poetarum pleraque omnia obvios habere significatus. Quo ego quidem ita utor, sicuti professus sum, ut quamvis disertum nomen tamen unius poetae fuisse obtineam.

II.

Sententiae veterum de aetate Homeri accuratius digeruntur et illustrantur.

Si quis dubitaverit, quid sit, quod Homerus ipse de se suaque vitâ nihil quidquam prodiderit, is optime audiet *Friderici Jacobsii* sententiam, cujus ipsa verba exhibere praestat. Sunt autem haec: *Dass Homer stumm ist über sich selbst, ist etwas Besseres als eine der Grossartigkeit des Alterthums fremde Bescheidenheit; es ist der kunstergebene, kunstfrohe Sinn, durch den er wie ein Dolmetscher der Götter aus dem Innersten ihres Heiligthums spricht.*" Script. miscell. III. p. 297. Non dissimilis sine dubio affectus auditores poetae tenuit tum aequales tum eos qui proximis aetatibus ejus carminibus operam dederunt. Carmina divina sedulo et ipsi audiebant et propagabant ad posteros; ceterum, praeterquam quod nomen acceptissimi poetae ore ac laudibus suis ferebant, quis et unde domo, eos ne curasse quidem putes. Neque Homeri tempora, aut quae ab his proxima fuerunt, eorum monumentorum usum habuisse videri possunt, quibus solis Terpandri aliorumque aetatem testatam legimus. Certaminum dico musicorum cippos, qui nomina victorum ad posteritatis memoriam servarunt. Ne ipsorum quidem certaminum historia multum ultra Terpandrum pertinet, nisi scripto-
21 ribus levissimis fidem habeamus. Quae quum ita sint, primum patet, vix potuisse aliam de Homero famam perhiberi, atque quae de carminum ejus quasi vita fuerit; deinde ejus vitae testes eos potissimum exstitisse, quorum operâ carmina ejus servata et ad aliarum terrarum notitiam perlata fuis-

sent; denique aetatem Homeri posterioribus eam esse visam, qua percrebuisse carminum usum atque gloriam, ex indiciis quibusdam aut testimoniis conclusissent. Quam rei rationem quum considero, intelligere videor, quid sit, quod Platonis auctores (Stesimbrotus fortasse potissimum Thasius) Homerum a suis ipsius aequalibus neglectum esse tradiderant (de rep. X. 600 B.). Hi suis ducti rationibus Homerum ad tempora rejecerant remotiora, quam quibus carmina ejus ad celebritatem perducta esse sciebant. *) Alii, quorum in numero Herodotum ponendum censeo, id quod tutissimum videbatur, poetae aetatem carminum famâ metiebantur. Hoc sine dubio illud est, quod Homeri memoriam cum *Lycurgi* copulatam videmus, utriusque cum *Creophylo Samio.* Lycurgum Homero fere aequalem vixisse, adeo persuasum fuit Timaeo, ut duos comminisceretur fuisse Lycurgos; **) Creophylum autem jam Platonis isti auctores familiarem Homeri appellaverant; de eodem Heraclidem Ponticum, Callimachum aliosque plurimos testes habemus. Qui quod Creophylum Homero alius alio necessitudinis 22
proprioris vocabulo applicant, nunc hospitem memorantes, nunc διδάσκαλον, nunc (si qua fides Platonis schol.) generum, ea vocabula omnia aut metaphoram habere aut ad carmina potius pertinere Melet. 1. p. 11. et 118 extr. docuimus. Quapropter si ex testimoniis quamvis multis nihil confici posse videtur, nisi Creophylum et carmen de capta Oechalia composuisse ad Homeri exemplum, et hujus carmina servasse, pronunciasse, aliisque qui discere vellent praeivisse: tantum certe constat, illos auctores omnes carminum Homericorum notitiam Creophyli fere memoriâ censuisse; tum ipsum Homerum Creophylo non multum antiquiorem posuisse. Quam eorum rationem nobis quoque esse imitandam, si historiae vestigiis insistere velimus, demonstrare posse videor, si id nunc maxime agerem. ***) Sed meum nunc

---

*) Animadvertendum est, Platonem illud non ex sua argumentatione ponere, sed de auctorum fide.

**) V. Plut. V. Lycurgi c. 1. et Goellerum ad Timaei fragm. p. 253.

***) Quem levissimorum scriptorum vestigia satis terrent, is cavebit sibi ab internorum argumentorum quamvis speciosorum imbecillitate. Iis inde a grammatica aetate fere plerosque et ita quemque maxime usum esse, ut poetam rerum quarum me-

illud potius est, ut quid veteres ipsi crediderint, et unde profecerint, persequar. Proximum autem videtur, ut de urbium fabellis quid verum sid, demonstrem, quarum tanta affluit multitudo.

23 §. 1. Discimus ex vitarum quas legimus reliquiis, urbes Homeri studiosas, postquam contentio exarserit, admodum sollertes fuisse in fingendis iis, quibus Homerum sibi assererent. Nomen quum obsidem declararet, plures ex iis tempora exhibebant, quibus id nomen induisset; et Colophonii quidem obsidem acceperant a Smyrnaeis (Suid.). Si certi belli tempora narrabant, aetatis nota commento inerat, quam Colophonios hanc indicasse suspicor, ut Homerum Gygis temporibus apud se Margitam composuisse testarentur Archilocho non multam antiquiorem: Gygis enim aetate Colophonii Smyrnam occuparunt (Herod. 1. 150. et Bach. ad Mimnerm. p. 5. sq.); quamquam implicatissima istarum urbium historia variae testificationi locum faciebat (v. Bähr. ad Herod. c. 149.). Alio artificio Cumaeos usos esse videmus; qui quum Homerum Smyrnae quidem natum sed ex parentibus Cumâ oriundis evincere vellent, Smyrnam illos poetae majores tum migrasse perhibuerunt, quum primum Aeolibus Cumaeis urbem illam reliquissent Lydi s. Maeones (quos Ionas Ephesios alii memorant). Ita his quoque aetatis nota suboriebatur, sed ratione levissimâ. Quamquam quid Colophonios aut Cumaeos loquor, quum scriptores potius, vernaculos plerosque, novicios, pragmaticorum denique de sectâ, istas fabulas aut conformasse, certissimis exemplis cognoscamus? Cives de vulgo jucunde fortasse narrare habebant, quem suae urbis didascalum, vel sutorem, vel

---

minit testem scientissimum fuisse existimasset, id quidem infra docebimus, eoque potissimum convicio efficiemus, quod efficiendum suscepimus; sed nos longe rectius cum alteris facere, praeter testimoniorum auctoritatem majorem, ex duabus maxime sententiis conficio. Earum altera Voelckeri quodammodo disputatione nititur (Diar. schol. a. XXXI. pl. 39 squ.), quocum de singulis multum dissentiens ita tamen facio, ut famam de bello Trojano tenuiorem ex memoria earum rerum, quae Graecis Aeolidem occupantibus accidissent, auctam et exaedificatam esse putem. Altera sententia ea est, qua Homerum antiquiorum usum esse carminibus non hariolamur, sed accurate censemus.

mercatorem Homerus in illustri aliquo carminum loco posuisset; sed vulgus quae fabulabatur varia et saepe in eâdem urbe diversissima, ea scriptores seduli ratiunculis et mendaciunculis doctius asseruerunt. Deprehendimus 24
in ea secta Ephorum nobilem inter pragmaticos, qui patriae a civium ingenio male audienti modeste succurrere voluit; *) legimus Calliclem nescio quem, quum Salaminiis Cypri Homerum vindicare vellet (vita ap. Iriart.), patrem poetae exhibuisse Dmasagoram (script. agon.), et, quod merito eidem acceptum referimus, obsidem datum narrasse Persis: suspicamur de Nicandro Colophonio; ab Hellanico denique, qui Homeridas Chios veres poetae posteros habuit (Harpocr.), patrem appellatum esse Bionem, agonis scriptor per saturam refert. Novicia haec esse maximam partem atque iis auspiciis et progenita et enutrita, ut fides eorum omnis penes auctores fuerit, nemo non intelligit. Quo vero progressu haec seges succreverit, is facile existimabit, qui tum studiorum, quibus Graeci Homeri carmina versaverint, tum operae historicae memoriam per aetatum seriem persequutus fuerit; neque mirabitur, antiquissimi poetae historiam vetustate obliteratam, quum idem laudatissimus esset, commentis esse reparatam eoque exornatam licentius, quod omnes tantumdem scirent. Ita nobis satis promptum est, omnes tantumdem scirent. Ita nobis satis promptum est, omnes ejusmodi fabellas eodem abjicere; sed quod ipsi de hoc genere statuimus, idem judicio veterum, qui aut antiquiores aut a pragmaticorum libidine immunes essent, probatum fuisse videmus. Si enim talis memoriae fuisset aut exstare visa esset certitudo, qualem fabulae istae mentiebantur, non alteri ex primâ car- 25
minum notitiâ potius de aetate poetae statuissent, alteri ex internis argumentis. In quo illud non praetereundum est, grammaticos Alexandrinos eo ipso ad exigenda argumenta interna esse traductos, quod memoriae integritatem pragmaticorum studiis adeo turbatam et corruptam accepissent. Sed revertamur illuc, unde ad urbium fabellas deflexímus.

---

*) Pseudoherod. c. 7. *Ἀπαλλάσσετο ἐκ τῆς Κύμης ἐς Φωκαίην, Κυμαίοις ἐπαρησάμενος, μηδένα ποιητὴν δόκιμον ἐν τῇ χώρᾳ γενέσθαι, ὅστις Κυμαίους ἐπαγλαϊεῖ.* Cfr. Strabo XIII. 146 sq. qui Cumae infamiam pluribus arguit.

§. 2. Obscuratâ, quod necessario evenisse vidimus, ipsius poetae notitiâ omnis de eo fama in eam cederet necesse erat, quae de carminum ejus usu et efficacia servaretur. Carminum igitur notitiam scrutabantur, quicunque e Graecis antiquioribus saniores poetae memoriam cognoscere studebant. Qui quâ condicione fuerint, juvat nunc, quasi inter Herodoti aequales vel paullo antiquiores constituti simus, animo proponere. Fama de carminibus Homeri ubique locorum tam antiqua fuit, ut omnium quae exstarent antiquissima haberentur. Per quos primum servata essent, id iis, qui carmina, quibus vix ullum legebatur antiquius, ad tempora rejicienda remotissima putabant, ignorari videbatur; quare primo tempore neglectum esse poetam memorabant; alii autem primam carminum aetatem, quae ab ipsius vita proxima fuisset, eorum memoriâ notabant, qui ad exemplum Homeri similia composuerant et quos ejus carminibus operam dedisse aut ipsa imitatio fidem faciebat aut aliunde notum erat. Ac nonnullorum ex eo genere nomina mature interciderant, ut dubitaretur, an Thebais vel Epigoni Homeri essent. Non potuisset talis suspicio nasci, si epici in carminibus de se suisque rebus testimonia interposuissent. Quum ejusmodi nihil fecissent,
26 et rhapsodi vel didascali non Iliadem et Odysseam solum sed aemulorum quoque opera recitarent: vel carmina eorum, quorum nomina satis nota erant, in aliquam dubitationem erant perducta. Quando ea dubitatio et a quibus orta esset, non satis constabat, neque si quae ex propiore aetate fama erat de carmine aliquo Homerico, id quale diceretur, plane poterat dignosci. At quod de Homeri carminibus Lycurgi aetate in Peloponnesum delatis narrabatur, de aliis carminibus atque de Iliade vel Odyssea haud facile licebat intelligi. Et nota fuisse istic ea carmina mature, ejus rei testis Hagias Troezenius esse videbatur, qui Nostos fecerat non sine manifesta Odysseae imitatione. Epicos illos subsequuti erant poetae melici, jamborum, aliique qui passim in carminibus tum de se tum de aliis poetis ea erant professi, quae testimonii usum haberent. Ita de Homero quoque ejusque aemulis varia apud eos legebantur; neque solum quasdam sententias auctoritate celeberrimi poetae extulerant, ut Pindarus Pyth. IV, 493 (277) et Simonides fr. C. (CIV.), aut res ab eo traditas carminumque argumenta ipsa sive assentientes sive corrigentes commemoraverant, ut Odysseam

Theognis 1123 sqq., Pindarus eandem Nem. VII, 30 (31), Ajacem carminis utriusque Isthm. III, 64 (55); sed, si quando occasio fuerat, etiam de Creophylo, Stasino, aliisque aemulis, deque eorum cum Homero necessitudine judicia vel mentiones interposuerant; potuerat denique fieri, ut unum alterumque carmen, quod jam ante eorum aetatem in Homeri nomen cessisset, huic inscriberent; quamquam Callinus num Thebaidem Homero attribuisse putandus sit, nobis nunc non satis liquet. *) Hos igitur quicunque 27
Herodoti aequalis in Homeri memoriam curiosius inquirebat testes de eo antiquissimos cognoscere poterat. Verum eorum voces, ut fortuitae ita rarae et, in quo plurimum, dialecto divinâ prolatae, errandi caussas varias, certioris testimonii admodum nihil habebant. Quum in carmine, quod de victore Olympiorum aliquo, Samio fortasse vel Salaminio, erat, memorabant, Homerum a Creophylo (victoris proavo) hospitio esse exceptum; vel Stasino sive Chio alicui *θάλος, πτόρθον, ἔρνος ἐγγυαλίξαι;* vel *θυγατρὶ τῇ ἑτέρᾳ ἕδνων νόμῳ* s. *προῖκα* s. *μείλια* Cypria, quae omnia ex veterum indiciis probabiliter ducta ponimus: tum elegantiores quidem lectores, metaphoras eas esse statuentes, Creophylum Homeri aemulum fuisse interpretabantur, itemque Stasinum, quippe cui Homerus, ut Musae Hesiodo, frondem s. bacillum, poetarum insigne, tradidisse a lyrico diceretur, quo Iliadi Cypria adjiceret; quae quod Pindarus, ut nos quidem fingimus, filiae *alteri* dotis loco fuisse dixerat, iidem interpretes filiam alteram docebant Iliadem dici, cui liberaliter adjuncta essent Cypria, ut dos virgini. **) Ab horum interpre-

*) Veterem poetam elegiacum a Pausania IX, 9 extr. citari censuit Welckerus in Diar. scholast. a. MDCCCXXXII. pl. 14. Mihi scrupulum injicit loquutio *ἀφικόμενος αὐτῶν ἐς μνήμην ἔφησεν,* quae plus continere videtur, quam in poetae mentionem cadere dicas. [Nam *ἔφησεν* formam sic reperio positam (v. Herod. VI, 137.) ut tertium significari probabile sit, a quo sua sumpserit, aut ex quo audierit Pausanias. Cfr. Welck. Cycl. p. 132.]

**) V. Pindar. ap. Aelian. V. H. IX, 15. cll. Boeckh. ad fragm. 189. et mea Meletem. I. p. 11. et 118 extr. Encycl. Halens. s. v. Odyssea p. 400. ubi quae disputavi, iis nunc probabiliora etiam afferre videor. Aelianum autem illa *ἀπορῶν ἐκδοῦναι τὴν θυγατέρα* e Pindari testimonio non sumpsisse, sed alterum tantummodo, persuasissimum habeo.

28 tatione dissidentes alii dubitabant, an proprie dicta essent omnia; neque deerant scriptores de Homeri vita curiosiores, qui lyricorum mentionibus pinguiore Minerva uterentur. Hoc igitur modo lyrici quum alia multa ambigue erant loquuti de Homero, tum aetatis notas aut nullas aut admodum incertas exhibuerant. Neque igitur magis horum testimoniis de ipsius poetae vita quidquam constabat, quam aliis ex antiquiore tempore monumentis. Quocirca, nisi quis se ad urbium opiniones parum sinceras conferre volebat, praeter carminum divulgatorum famam scrutanti nihil omnino relictum erat, quo niti posset. Nam, quominus Iliadis et Odysseae poetam rebus, quas tradidisset, interfuisse crederent, vel illud *οἷοι νῦν βροτοί εἰσι,* et *ἡμεῖς δὲ κλέος οἶον ἀκούομεν* impediebat; neque dubitare de his locis cuiquam in mentem venerat. V. hujus Comment. appendicem. p. 101.

Omitto jam hanc, quam adhuc sumptâ persona quadam persequutus sum, admonendi rationem. Satis enim provisum videtur, ut utrumque lectores agnoscant, et illud, ipsius poetae, temporumque quae vivus vigensque egerit, memoriam non potuisse non admodum cito exolescere, nullis neque monumentis neque literis vindicatam, et alterum, quum nihil superasset nisi nomen operibus suis decorum, Graecos Herodoteae aetatis et necessario et recte ex carminum historia de poetae aetate statuisse. In quo bene intelligimus, nunquam posse hanc argumentationem tam certam haberi, quin nobis nunc de sejungenda ab Iliade Odysseâ suspicari liceat, si rationes bene exactae eo nos adegerint. Sed hoc agamus.

29 §. 3. Quoniam supra de eorum temporum ratione exposuimus, quae prosae orationis primordia praecesserunt, sequitur, ut scriptores percenseamus, qui in Homeri memoriam inquisivisse vel saltem de eâ statuisse perhibentur. Deinde sententias eorum in nostrae disputationis usum digeramus. Scriptores ex eo genere antiquiores unâ in tabulâ ponit *Tatianus* or. ad Graec. c. 48. qui, quo certius evincat divinam sapientiam literas Graecas antiquitate longe superare, de aetate Homeri doctorum sententias enumeraturus primum sic testatur: *περὶ γὰρ τῆς ποιήσεως τοῦ Ὁμήρου, γένους τε αὐτοῦ καὶ χρόνου, καθ' ὃν ἤκμαζεν, προηρεύνησαν οἱ πρεσβύτατοι Θεαγένης τε ὁ Ῥήγιος,*
528. a. Ch. n. *κατὰ Καμβύσην γεγονώς, Στησίμβροτός τε ὁ Θάσιος καὶ Ἀντίμαχος ὁ Κολοφώνιος, Ἡρόδοτός τε ὁ Ἁλικαρνασσεὺς καὶ Διονύσιος ὁ Ὀλύνθιος·* (hi antiquissimi; sequuntur medii quidam) *μετ' ἐκείνους Ἔφορος ὁ Κυμαῖος, καὶ Φιλόχορος ὁ Ἀθηναῖος, Με-*

γακλείδης τε καὶ Χαμαιλέων οἱ Περιπατητικοί· ἔπειτα γραμματικοί, Ζηνόδοτος, Ἀριστοφάνης, Καλλίμαχος, Κράτης, Ἐρατοσθένης, Ἀρίσταρχος, Ἀπολλόδωρος. Persequamur singulos, et inseramus eos, si quos Tatianus omiserit non negligendos.

Theagenes Rheginus. Ex testimoniis jam Melet. 1. p. 131. positis efficitur, hunc omnium quotquot fama nobilitavit Homeri interpretum primum exstitisse; quem eundem primum grammaticum dicas licet, quum vere omnis grammaticae, quae poetarum scriptorumque interpretatione censetur, hoc fuerit principium, ut poetae nobilissimi auctoritas, tum reprehensionibus affligi coepta, enarrationis artificio vindicaretur, h. e. allegoriâ tum physicâ tum ethicâ. Theagenis liber sine dubio mature neglectus est prae subsequentium allegoricorum sapientiâ; nam cognitio ejus omnis ll. ll. constat. Quocirca, quum a posterioribus non adhibitus videatur, nisi ut cultiori disciplinae auctoritatem adderet, ne Tatianus quidem ipsum vidit; neque sciri licet, ecquid curiosius de Homeri vitâ quaesierit Theagenes. Aetatis autem condicionem hanc deprehendimus. Ipsius Homeri fama pridem fuit obscurata, ut de aetate parum constaret, de patriâ jam aliquot urbium controversia esset. Carminum pervagata celebritas erat, auctoritas 30 vulgo summa. Sed quum studia physiologiae jam diutius gliscerent, et jam florente Polycrate, cujus extremos annos vidit Theagenes, Pherecydes et Anaximander libros de natura et de diis promulgassent (v. Melet. 1. 98 sq.): horum aequalis paullo minor Xenophanes, in ipsa patria Colophone, antequam Veliam concederet, sillis suis Homerum Hesiodumque traduxerat. Vacillanti ita apud doctos antiquissimi poetae auctoritati Theagenes novâ doctrinâ patrocinatus est eodem fere tempore, quo Pisistratidarum publica cura illius carmina Atheniensium studiis commendavit. Prope instabant tempora Persica, quae, quasi vetus illud inter Asiam Europamque bellum renovarent, Graecorum animos denuo in belli Trojani scriptorem converterunt, et Atheniensium maxime studia novâ commendatione in eum incenderunt. *)

Post Theagenem qui ante Stesimbrotum datâ operâ poetae vitam tractarit, accuratius novimus neminem. Singula, quae ad ejus historiam pertinent, a singulis commemorata afferre possumus. Acusilaus ap. Harp., de Homeridis auctor antiquissimus, eos gentem apud Chios dixit, quae ab Homero nomen acceperit. Huic postea assentiens Hellanicus Homeridas genuinos poetae posteros esse voluit. Idem cum Damaste et Pherecyde Lerio stemma contexuit, quo Homerum eidem quo Hesiodum generi implicitum ab Orpheo repeteret. Ex quo qui sectam poetarum perpetuam elici posse putet, is viderit, quam considerate statuat. Damastes Sigeensis item de patria H. Chiis suffragatus est. Hi enim scriptores vix potuerant, quin

---

*) V. Herod. VII, 161. IX, 27 et 73. Thuc. II, 41. Isocr. Paneg. 103, Lang.

ejusmodi gentibus de eponymo suo profitentibus fidem haberent. V. omnino Lobeck. Agl. 324. — *Stesimbrotus*, non tam Cimonis (Plut. Cim. 4) quam Periclis (id. Per. 8) aequalis, et earum quae Athenis vidit rerum scriptor, quum ea aetate viveret, qua Homeri nomen apud Athenienses esset maximum, Anaxagoras autem allegoricae interpretationis disciplinam ad auditores multos propagaret: de Homero ejusque carminibus uberrime commentatus esse videtur. *) De aetate num quid certius posuerit, ignoramus; sed quum ipsum potissimum efferat Tatianus, recte suspicatus esse videor,
31 hoc maxime auctore Platonem ejusque aequales quum alia tum de Creophylo narrasse; et inter urbes contendentes Smyrnae calculum adjecisse Stesimbrotum vita ap. Iriart. testatur. — Sequitur *Antimachus* Colophonius, qui quum editionem Homeri conscriberet in civium usus, indicia conquisivisse videtur, quibus patriae civem expetitissimum assereret. Quod eum satis modeste fecisse ex vitarum illarum mentionibus colligimus. Praeterea tenendum est, neque antiquiorem pro Colophoniis auctorem ullum intercessisse **), neque postea exstitisse, qui iis assentiretur, praeter Colophonium alterum, *Nicandrum;* qui quum peculiari libello de poetis vernaculis exponeret, etiam de Homero fusius dicendi locum nactus erat. Neque tamen relatum est, quid vel hic vel ille de Margitae tempore natali conjectaverit. Statuisse eos, prout Smyrnam a suis majoribus occupatam esse credidissent, supra diximus. — Antimacho Tatianus subjungit *Herodotum*, quantum equidem video, non quod vitam a Pseudoherodoto conscriptam Halicarnassensi inscribendam censeret, sed propter locum celeberrimum II, 53, qui, quamvis paucorum sit versuum, tamen de Homero theologiae Graecae auctore luculentissimus est. Claudit antiquissimorum seriem *Dionysius Olynthius*, quem inter tot ejusdem nominis scriptores tenebrae summae occultant; tantum liquet, cyclographum non dici, de quo infra. Agmen mediorum et eorum, qui fere ab Isocrate aut ab Aristotele fuerunt, merito ducit *Ephorus* Cumaeus. Is ἐν συντάγματι τῷ ἐπιγραφομένῳ Ἐπιχωρίῳ, ut est in vitae Hom. quae inter Plutarchea legitur c. 2, de Homeri majoribus et cognatione, qua Hesiodum attigisset, deque omni vita eorum copiose et, ut pragmaticorum mos erat, confidenter narravit. Legimus in vita illa locum luculentum ipsius scriptoris verbis exhibitum, quem cum aliis ejusdem

---

*) V. Plat. Jon. 530 D. Proleg. mea ad Jon. p. 9. et Lobeck. Agl. p. 157. qui mihi facile persuasit, ut Stesimbrotum Anaxagoreis addendum esse concederem. [Adde Athen. XIII, 589 E. Sintenis. ad Plut. Themist. p. 14. Car. Frid. Hermann. in Indic. lectt. Marburg. aest. a. 1836. Utrique viro docto Stesimbrotus auctor varius magis quam gravis habetur.]

**) Xenophanes Colophonius, qui ap. Gell. III, 11. Homerum quam Hesiodum majorem natu fuisse testari perhibetur, is num civem habuerit suum, nescimus.

libelli reliquiis repetiit Marxius in Ephor. fr. p. 267—270. Accedit locus
ex cod. Iriart. hic: *Ἱππίας δ᾽αὖ καὶ Ἔφορος Κυμαῖοι· ὁ δὲ Ἔφορος καὶ εἰς
Χαρίφημον ἀνάγει τὸ γένος αὐτοῦ· ὁ δὲ Χαρίφημος οὗτος Κύμην ᾤκησε.* Si in hoc
Chariphemo substitit Ephori stemma, parcius fecit quam Hellanicus reli-
quique, de quibus supra diximus. Mutuatus autem est ab iis illud inven-
tum, quo Homerus et Hesiodus duorum fratrum, Dii et Apellidis progenies
ita fingebantur, ut Hesiodus, illius filius, Homero, qui alterius nepos, unâ
aetate major evaderet. Quippe induxerat jam antiquiores ea species, quâ
Hesiodus, qui deorum primordia tradiderat, Homero, qui de iisdem tam- 32
quam notis narrabat, prior vixisse videbatur. Alii, obscuratâ utriusque
poetae memoriâ, certe ut Hesiodum multo minorem haberent, a se impetrare
vix poterant. Sed animadvertendum commentum lepidissimum, quo Cu-
maeorum assertor non Homeri matrem solum a Cumaeo oriundam demon-
stravit, sed ipsum si non natum at genitum Cumae atque ipso in matris
utero Smyrnam delatum esse tradidit. Qui talibus fabulis in Smyrnaeorum
partem sese inferebant, nae iis de horum jure certissime erat persuasum.
Simili autem machinâ Ietae usi sunt, si qua fides narratiunculae, quae mi-
rum auditu! ex *Aristotelis* de poetica tertio ejusdem vitae c. 3. refertur.
Matrem Homeri deductorum in Ioniam colonorum tempore ex Io insulâ,
ei patriâ, quum jam uterum ferret, a praedonibus raptam et Smyrnam de-
portatam esse. Quum talia neque in Aristotelem neque in librum, qui de
poetica fuerit, cadere videantur, equidem libellum istum de poetis potius
fuisse et per errorem a sciolo Peripatetico in sectae principem translatum
suspicor. An vere Aristoteles ejusmodi fabellis perscribendis hoc assequu-
tus est, ut inter auctores nominetur, qui Ium Homeri patriam dixerint?
Nihil miraremur, si *Heraclides Ponticus* auctor citaretur (Diog. II, 23). —
Tatianus e Peripateticis *Chamaeleontem* Heracleotam et *Megaclidem* ponit,
quorum ille, scriptor inter Peripateticos cum primis fertilis, quum Aristo-
telis exemplo problemata Homerica scripsisset, Heraclidem insimulavit
scripta sua compilasse (Diog. La. V. 92). Eâdem operâ Megaclides in
Homero versatus est, sed ita, ut Aristarchus illius sententias quasdam re-
futasse, hujus probasse reperiatur. *) De patria et aetate poetae neutrius
judicia exstant. Multorum praeterea Peripateticorum de Homero scripta
fuerunt, sed quid censuerint ignoramus. Subjiciendi autem sunt *Theopompus*
Chius et *Anaximenes* Lampsacenus, quorum ille in Philippicis poetam quin-
gentis annis captâ Trojâ posteriorem posuit. Rationes ejus latent; sed si
eam sequutus est computationem, quam postea Eratosthenes, Gygis tempo-
ribus Homerum intulit, quod Euphorionem fecisse scimus, Colophonios
suspicamur. Praeterea mihi propter Strabonis disputationem, quae de

*) V. Schol. Apoll. Rh. II, 906. ad Il. ψ, 94. ad Od. ε, 334. ubi ὑδρήεσσα legit. De Megacl. v. Ven. A. ad π, 140. χ, 205. ib. 36. κ, 274. p. 288. Bekk.

33 Cimmeriis ab Homero cognitis est (I. p. 6. II. p. 149), veri simile videtur, plures e Graecis doctioribus illis ipsis usos esse ad aetatem poetae definiendam. V. Nic. Bach. ad Callin. p. 9 squ. De patria Theop. non statuisse videtur. Sed *Anaximenes*, quem Chium per errorem Lucianus appellavit, ap. Iriart. inter eos exstat, qui Chium testati sint. Scripserat Hellenica, Philippica, alia; sed etiam famosum Tricaranum illum, quem Theopompo invidiae conflandae caussa subdidit (Paus. VI, 18, 3); in quo si Theopompum de Chio patria pariter gloriantem fecerat atque alias civitates calumniantem, speciose Homerum quoque adhibuit. Neque vero mirum videbitur, si tale testimonium in excerptorum scrinia transiisse reperiatur, qui vel comicorum lusus saepe pro auctoritate venditarunt. Non multum illa aetate valuisse Chiorum ambitionem, *Alcidamas testis est*, qui in oratione ap. Aristot. Rhet. II, 23, 11. pro exemplo Chios ponit, qui Homerum magno in honore habeant, quamvis non fuerit civis. — Tatianus jam Ephoro proximum *Philochorum* aggregavit, qui fere Ptolemaei III. aetate Atthidem scripsit, in eâque Homerum natum censuit centum et octaginta annis post captam Trojam s. quadraginta post Ionum in Asiam migrationem, et natum quidem Argis (v. Siebel. 35); id quod neque ante neque post eum alius auctor ullus contendit, si epigrammatum poetas exceperis, qui leviter quamlibet in numerum receperunt. Quid sequutus sit, existimare non licet; at famâ veteri non esse usum, sed suis ratiunculis, certissimum habemus.

§. 4. Suffecerit haec quasi farrago (non justa historia), ut lectores admoneantur, quanta inde a Theagene Graecorum, Athenis praesertim, circa Homerum fuerit industria; quanta in fabulis concinnandis sollertia, in confirmandis quorundam levitas; quam porro propriis rationibus usi sint alii, si qui spretis urbium nugis tutissimum tamen sequi noluerint; denique quam mutila, quamque corrupta veterum auctorum testimonia nos nunc legamus. Quamquam potueram sane quod demonstrare volebam uberius exornare. Nihil dixi de sophistarum Homeridarumque, qui Athenis vocabantur, com-
34 mentationibus. Quarum si vix exempla supersunt, efficacia tamen quae fuerit ad Homeri memoriam corrumpendam, facile intelligimus. *) De Alexandrinis omnibus quod praefarer non esse videbatur. *Aristarchus* et *Crates*, quum de Homeri interpretatione omnino ita inter se dissiderent, ut hic *αὐταῖς τε ταῖς ἱστορίαις πιστεύσας καὶ τῇ πολυμαθίᾳ τȣ̃ ποιητȣ̃, καὶ πρὸς ἐπιστημονικὰς ὑποθέσεις τὴν Ὁμήρȣ ποίησιν* converteret, ut Strabo ait III, p. 253, Ari-

*) Hippias, qui ap. Iriart. Ephoro prior Homerum Cumaeum perhibuisse dicitur, utrum Thasius sit an Erythraeus (Athen. VI, 258 F.) an quis alius, non liquet.

starchus vero poetam haberet poetae loco, et rarâ inter veteres intelligentiâ certae aetatis imaginem repraesentasse censeret: etiam de aetate et patria in diversa discesserunt. Crates, utpote qui poetam rerum, quas tradidisset, testem scientissimum fuisse sibi persuasisset, earum vero, quas non attigisset, ignarum, eum paullo ante Heraclidarum in Peloponnesum descensum floruisse statuit. Et Crates aliquis, quum in libro, quem περὶ τῶν ἱεροποιῶν scripsit, de Homeridis Chiis referret, eos Homeri posteros esse professus est (v. Harpocr.). *) *Aristarchus* quid de patria statuerit, non expressum legimus nisi uno verbo: κατὰ Ἀρίσταρχον καὶ Διονύσιον τὸν Θρᾷκα Ἀθηναῖος (vita ap. Allat. et de H. poesi c. 2). Ex hac unius verbi significatione sententiam grammatici, qui de omnibns consideratissime decernere solebat, disci continuo non licere, Ephori et Aristotelis exempla arguunt, quorum sententias excerptorum breviloquentiâ admodum depravatas esse vidimus; hi enim 35
quum Cumaeorum et Ietarum opinionem retulissent, quâ matrem Homeri sua ex urbe Smyrnam delatam esse volebant, alter Cumaeum alter Ietam testari Homer. dictus est. Conjicimus igitur in hunc modum de Aristarcho. Primum in commentariis Archilochiis ut est ap. Clem. Al. Str. I. 326 sq., de aetate ita professus est, ut circiter Ionum migrationes Homerum φέρεσθαι diceret. Id quod istis in commentariis sine dubio Euphorioni opposuit, et si qui ante hunc poetam Archilocho paullo tantummodo antiquiorem vel etiam aequalem fuisse censuerant. Deinde in critica opera omni Aristarchum Ionismi et vero Atticismi quendam fautorem deprehendimus. Quae quum reputo, grammaticum cautissimum certius de patria et aetate Homeri nihil decrevisse arbitror; sed ex orationis maxime formis hoc duxisse, ut inter eos eum vixisse diceret, qui Athenis profecti Iones Asiae oras et circa insulas occupassent. Dialecto igitur Atheniensem fere habuit, aut, si quis, quum in Ionum urbibus Homeri memoria frequens fuerit, ex una urbe eum repetere vellet, Athenis eum attribuendum esse censuit, unde ejus majores profecti fuissent. Haec mecum argumentatus eram,

---

*) An alius Crates hic? [Fuisse alium, nunc supra, ut edoctus eram, pluribus demonstravi.]

quum *Lehrsii* diligentia docuit, scholiastam Venet. A. fere Aristarcheas reliquias continere, et diplas Aristarchi esse omnes, quarum vim ex ipsius commentariis enarraverit Aristonicus. Itaque verum me vidisse, testem nunc certissimum habeo schol. Ven. A. ad ν, 197. — His ita expositis id, cujus caussâ ista disseruimus, breviter comprehendendum est. Demonstrandum enim suscepi, tantum abesse, ut discrepantibus de aetate Homeri testimoniis par auctoritas tribuenda sit, ut non plus uno eam fidem habeat,
36 quam historiae lex postulet; cetera enim aut urbium narrationibus facticiis niti, aut iis argumentis, quae homines sive arguluti sive docti ex Iliade et Odyssea, et forsitan Margita, legendo et enarrando duxissent; quorum neutra veterem famam sequi. Triplex igitur quod informavimus testimoniorum genus jam singillatim exhibeam.

§. 5. Primum locum ea teneant judicia verius quam testimonia, quae, posteaquam urbium scriptorumque sedulitas veteris memoriae notas confudit, ex internis argumentis confecta sunt a grammaticis. Quorum rationes ut recte intelligantur, consulenda sunt Eratosthenica Bernhard. p. 239 squ.

Ipsi bello Trojano, atque etiam Thebano, poetam aequalem floruisse, unus statuisse reperitur *Dionysius cyclographus*, quem Mytilenaeum *) esse *Welckerus* evicit (v. Melet. I. p. 89). Sententia futilissima Procli aetate (v. eum ad Hesiod. p. 7), amantissimâ fabellarum, cum altera, quae Homerum cum Hesiodo in certamen commisit, ita erat conciliata, ut duo fingerentur Homeri. A Dionysii calculo proximus *Crates;* qui quod Homerum ante Heraclidas vixisse censuit (Tatian. c. 49), longius non rejecit, catalogo navium et principibus in eo Boeotiis tribuisse videtur, qui sexagesimo post tempora Trojana anno suas sedes occuparunt (Thuc. I, 12).
37 Paullum ultra Heraclidas promovit poetam *Eratosthenes,* qui ejus aetatis

*) Sueton. de illustr. gramm. 7. Gnipho, quem (ita enim computo) 48 annos natum a. 66. a Chr. frequentavit Cicero, quem eundem Caesar tredecim annorum puer magistrum habuit c. ann. 86. quum ille tricesimum aetatis prope attingeret, Gnipho, Suetonio judice, vix audire potuerat Dionysium Mytilenaeum; qui igitur ad annos 94—90 a. Chr. vitam extendisse non videbatur.

florem anno a Troja capta centesimo assignavit. Ulterius progressus *Aristarchus* ipsam posuit Ionum migrationem quae sec. epochas Eratosth. in annum 140. p. c. Tr. incidit. Ab his prorsus discrepans *Euphorio* quibus adminiculis Homerum Gygis temporibus implicuerit, quum de Aleuadis disputaret, neque traditum est, neque conjecturâ equidem assequor. An nihil sequutus est nisi *Theopompi* auctoritatem suamque ipsius naturam?

§. 6. Progredior ad alterum genus testimoniorum, quod urbium fabulis et eorum scriptorum, qui ab his profecerunt, sententiis continetur. De quo breviter profiteri licet. Neque enim quemquam dubitaturum esse spero, quin recte ex Cumaeorum, Ietarum et Colophoniorum narrationibus hoc collegerim, eos non alia de caussa, aut traditorum fide, Homerum certis quibusdam temporibus inseruisse, nisi quod ea potissimum fabulis, quas fingerent, opportuna essent visa. Certe rem ita non evenisse, nemo satis praestare poterit. Satis probabiliter quidam V. D. eam computationem, quae in fine vitae a Pseudoher. conscr. legitur, ab *Ephoro* repetiit. Anno, inquit, 130. p. capt. Tr. condita est Lesbos, vigesimo post Cume, ab hac cond. duodevicesimo Smyrna occupata est a Cumaeis; quo tempore si Homerus natus est, sequitur, annum poetae natalem fuisse a c. Tr. centesimum sexagesimum octavum. Considerate priora omnia retulerit Ephorus, nihil impedio; at, ubi omnia videmus ficta, quae tandem fides est, temporum notas, quae hominum ac rerum memoriâ constant, eâdem licentiâ inventas non esse? Ergo neque Pseudoherodoto, neque ei, quem Ietarum fabulam 38
referentem audivimus, Aristoteli, neque *Philochoro* quidquam tribuendum censeo.

§. 7. Superest, ut de tertia classe dicam, quae eorum est, quos ex carminum pervulgatorum memoriâ de aetate Homeri statuisse arbitror. Ac primum animadvertant velim lectores, cum computatione *Herodoti*, quem legimus testem antiquissimum (II, 53), egregie convenire *Apollodoro*, qui in aetatum seriem et notas accuratissime inquisivit, et non ignarus sententiarum, quas alii ex internis argumentis conformassent, eam instauravit rationem, quam ante literatissimae aetatis, quae ab Aristotele ducitur, studia et molimina valuisse, Creophyli illa mentio ostendit. De *Herodoto* tantum addidisse sufficiet: ex ejus ratione Homerum incidere in eam aetatem,

quae vulgo Lycurgi fuisse putetur, hunc vero auctoritate quum Thucydidis I, 18. tum aliorum non levium scriptorum propius ad noni a. Chr. saeculi exitum retrahi. Hesiodum quod priorem posuit Her., id ideo fecisse videtur, quod de theogoniae Graecae testibus loqueretur. Utrumcunque autem altero antiquiorem habuit, certe testificationis ratio hoc postulabat, ut numeros suos antiquiori accommodaret. Post Herodotum nullum ejusdem rationis testem dicere habemus ante *Timaeum* (Plut. Lyc. 1). Nam Thucydides in universum magis censuit. *Timaeus* autem sine dubio alterius Lycurgi commento facile abstinuisset, nisi ei de Lycurgo Homeri prope aequali fuisset persuasissimum. De *Apollodoro* denique testes habemus plurimos, Tatianum c. 49, Clementem, alios. Quum in universum Eratosthenis epochas sequeretur, Homerum autem floruisse poneret c. ann. 100 post Ionum migrationem, eum habuit unâ fere aetate Lycurgo majorem.
39 Apollodorum fere sequuti sunt Romani, de quibus accuratius disserere nihil attinet. Breviter addo, accedere illis, quos posui, *Sosibium Laconem* ἐν χρόνων ἀναγραφῇ, de quo Clemens Str. I. 327, qui „vixit sub Philadelpho“ Voss. p. 100. — Si nobis propositum esset, de Homeri aetate decernere, istorum testium caussas et fontes pluribus illustraremus; nunc genus monstrasse sufficit. Unum addo hoc. De Creophylo neque tam fide digna testimonia habemus, neque tam antiqua, quibus alias confidentissime innitamur. Et supra ipse demonstravi, quomodo fieri potuerit, ut e lyricorum vocibus parum intellectis Creophyli necessitudo illa omnis sensim paullatimque fingeretur. Sed parum tamen caute faceret, qui hac suspicione ad elevandam traditi fidem continuo abuteretur. Primum enim nusquam praeterea ficti ulla est ne species quidem; nulla in nomine, nulla in rebus; imo firmatur Creophyli memoria carminis notitia constanter tradita. Deinde patet, Platonem plures habuisse auctores. Accedit his Heraclides Ponticus in Polit. II., homo saepe levitatis compertus; atqui testimonium, si modo emendate scribatur (ἐν Σάμῳ ἐγένετο vel ἐς Σάμον ἐτελεύτησε), nihil continet, quod auctoritatem ejus elevet. Idem ap. Iriart. Homerum testatur Hesiodo antiquiorem. Et haec quidem hactenus.

III.

Fama de Homeri patria multiplex ad id quod res est redigitur.

§. 1. Quod in antiquissimi et celeberrimi poetae historiâ ad suspicandum promptissimum erat, eam, si cujusquam alîus, temporum progressu
oneratam esse hariolationibus et variis de caussis obscuratam magis quam 40
illustratam: id vere accidisse quum disputatio, quae supra de scriptoribus vitae Homeri fuit, docuit, tum magis etiam planum fiet, quum de patriâ poetae testimonia percensuerimus. Haec testimonia ut primum aliquis paullo accuratius inspexerit et inter se commiserit, statim deprehendet, primum, si verba ipsa quaerimus, in vitis istis mutila multa et depravata legi; deinde vitas vitarumque excerpta testimonia omnia, sive antiqua sive admodum mustea essent, sive urbium opiniones pervagatas sive singulorum hominum conjecturas continerent, sine ullo saepe discrimine conserta exhibere. Similiter autem fecisse videmus epigrammatum poetas, qui, sive expetitum ab omnibus poetam celebrare volebant, sive illud efferre, frustra in terris quaeri patriam ejus, qui coelitus demissus fuerit, semper numerum potius quam auctoritatis discrimina quaesierunt. Verum, quod ad rem causamque longe gravius est, nec ipsae urbes, quae Homerum civem suum fuisse contendebant, jus sibi idem arrogarunt, ne eâ quidem aetate, quae a pragmaticorum artificio ad fingendi audaciam instructior fuit. Quam urbium rationem si eos inprimis animadvertere oportet, qui veram Homeri patriam exquirere velint: nos dum hanc intelligimus alterum magis convertit, ex quo efficitur, famam multiplicem non de pluribus ex simili genere poetis esse, sed de uno eodemque Homero. Quum enim ipsae urbes saepe nihil narrarent, nisi Homerum, quem multum vagatum esse consentiens fama erat, civis more modoque apud se commoratum esse, aliae vero suum quo-
que civem de ea necessitudine dictitarent, quae inter metropolin et colonias 41
intercedebat: exorti sunt scriptores ad inveniendum callidi et sollertes, qui urbes vel sibi patrias vel alias aut in majorem arrogantiam erigerent, aut in contendentium numerum ita inferrent, ut parentes vel majores poetae ex aliâ terrâ advenas inter Smyrnaeos aut Colophonios vixisse traderent. Sed

praevertar illuc, et falsam famae speciem ad eam paucarum urbium contentionem revocem, quae veteris memoriae auctoritate aliquâ nititur. Quod quum effecero, nemo mirabitur de patria Homeri certius non constitisse.

Testes famae vel urbium subscriptores antiquissimos audimus lyricos quosdam, non admodum vetustos, sed quibus scriptores rerum et fabularum plures aetate antecedunt, *Simonidem, Pindarum* et *Bacchylidem;* ut mirum accideret, ni eos jam in diversa discedere videremus. Simonidis locum legimus ipsum (fr. C.), in quo Iliadis quandam sententiam a viro *Chio* pulcre positam dicit. Simili significationis brevitate *Pindarus* in l. deperdito *Smyrnaeum* appellaverat: idem in altero aliquo *Chium*, nisi Homeridarum periphrasis excerptores fefellit;*) *Bacchylides* denique *Ietam* testatus esse dicitur in vita Allat.; quamquam dubitare licet, an aliud quid dixerit. Jam ab his si ad Ephori usque et Aristotelis aetatem prospicimus, suffragatores accedunt pro *Smyrnaeis* Stesimbrotus, pro *Chiis* Acusilaus, Hellanicus, ut
42 videtur, Damastes et Thucydides, pro *Ietis* vix ullus, nisi illum adhibere velis, quem ne ipsum quidem id quod volunt testari vidimus, Aristotelem. Porro pro *Colophoniis* primus auctor citatur Antimachus. *Cumaeos* precario jure dicam an modestâ quadam cupiditate admiscet Ephorus, quocum Hippias nescio quis sensisse dicitur. Hos testes non eo citamus, quod urbes, pro quibus intercesserunt, ab iis demum introductas putemus, sed ut indicio sint ejus auctoritatis, quam quaeque urbs per aetatum progressus habuisse videatur. Si deest omnino auctor, aut novicius aliquis, praesertim solus, citatur non multum valuisse ejus urbis ambitionem arbitramur, vel etiam veremur, ne omnis asserti fides penes hunc auctorem sit. Dubitamus igitur merito an *Cypriorum* s. Salaminiorum opinio nunquam evaluerit. Quos suspicor nullo alio argumento nisos esse, nisi carmine illo epico; quod pro Homerico ipsi maxime venditantes in urbium homerissantium numerum venerint. Successit deinde caussae infirmae patronus Callicles quidam, sed adversante Timomacho, qui quum Cypri memoriam peculiari

---

*) Utrumque est ap. script. de H. poesi c. 2. in vita Allat. Smyrnam, ap. Iriart. Chium legimus.

libro illustraret, tamen Ietis potius credendum esse censuit (v. Melet. I. p. 127), qui matrem Homeri apud se natam fuisse, ipsum in matris patriâ defunctum et conditum narrabant. Cyprii, praeterquam quod patrem Dmasagoram, matrem Themisto exhibebant, et poetam obsidis illud nomen accepisse narrabant, quum Persis traditus esset (in quo Cypri tempora expendere juvabit), etiam Eucli vatis carmen testabantur, quod Pausan. X, 24. affert. De Euclo totoque illo vatum genere v. Lobeck. Aglaoph. p. 299 squ.; carminis autem verbis *Ἑλλάδος-μῦνος κακὰ πρῶτος ἀείσας* Cyprium carmen significari videtur. Postremo dubium non est, quin Salaminiis nemo ali- 43
quam fidem habere potuerit, nisi qui carmen illud Homeri esse sibi persuaderi passus esset. *) Quod vero epigrammatum poetae et Cicero Salaminios inter civitates Homeri appetentes ponunt, iis satis id fuit promptum, etiamsi scriptoris demum admodum recentis operâ Salaminiorum caussa uberius instructa esset. Ergo quovis pacto Salaminiorum neque auctoritas non levis, neque opinionis, quam sensim exornarunt, ulla adversus meam sententiam vis est. Similis est ratio *Argivorum*, quos quum sciamus Homeri studiosissimos fuisse, tamen Argivum nemo poetam testatus est praeter Philochorum et epigrammata. Atqui intelligimus aliud esse, Homeri carminibus multum uti ipsiusque memoriam magnâ reverentiâ prosequi, aliud, civem eum credere, aut, si opinione ascitus est, ejus opinionis fidem facere. De his igitur eadem valent quae de Salaminiis. Praeterea breviter addimus, quum in epigrammate ignoti poetae *Mycenae* ponantur, eam urbem praelatam videri a docto, qui Agamemnonem non Argis sed Mycenis regnasse meminisset. Regredimur ad illas civitates, quas lyricorum aetate majore minore cum assensu Homerum suum dixisse vidimus; quibus adjungemus Colophonem. Fuit harum quoque condicio admodum diversa,

---

*) Opinionem ab Herodoto impugnatam, ab Aristotele et grammaticis Alexandrinis prorsus abjectam, quod Tzetzes Chil. XIII, 638 sqq. plerisque probari dicit, id Apionis auctoritate effectum esse reor, qui sub Calligula floruit; hunc enim et studia sua Homeri aequalibus mirifice probasse et Cypria ab Homero ad consummandum opus adjecta censuisse, mihi quidem manifesto testari videtur Seneca Ep. 88.

sive argumenta quaerimus, sive auctoritatem, quam quaeque habuerit.
44 Penes *Ietas* Homeri esse sepulcrum, in totâ Graeciâ vulgo creditum dicere licet, si Chios excipias (v. Melet. I. 127). Sed plus iis an unquam multorum judicio concessum sit, merito dubitamus. De matre ipsi, si quid video, in diversa discedebant. Alteri eam Cretheidem appellabant et *ὑπό τινος δαίμονος τῶν συγχορευτῶν Μέσαις ἐγκύμονα* a praedonibus Smyrnam deportatam, et Maeoni Lydo dono datam memorabant; ex quâ fabulâ illud elucet, Smyrnam jure et auctoritate adeo praevaluisse, ut Ietis non licuerit plus asseverare. Verum praeter hanc famam altera Ietarum in ore erat: matrem fuisse Clymenam, ejusque ipsius quoque sepulcrum in eadem insulâ exstare. Illud Aristoteles, qui dicitur, in vitae Plutarch. c. 3, hoc Pausanias X, 24. narrat. Ac differentia fortasse nulla fuit, nisi de ipso matris nomine. Utrum autem unquam Ietae plus sibi sumpserint, et Bacchylides vel Timomachus ipsum Homerum apud illos natum retulerint, an non, equidem ambiguum habeo; praesertim quum Ios ne in epigrammate quidem illo apud Gell. III, 11. locum plane certum habeat. Multo simpliciore et ad Graecorum assensum potiore argumentatione *Chii* nitebantur, qui Homeridarum gentem ostentabant, Homerum sibi heroem testabantur, praeterea prooemii locum afferebant. Ex his vel primum argumentum ad faciendam apud Graecos antiquiores fidem tam grave fuisse crediderim, ut mirari subeat, de Chio non pluribus etiam persuasum fuisse. Qui enim Eumolpidis aliisve gentibus fidem non derogabant, quum de eponymis suis referebant,
45 quid erat, cur Homeridis minus crederent? Et valuerunt Homeridae priore tempore apud Acusilaum, Damastem, Hellanicum, Simonidem; Thucydides, prooemium minus notum ex Chiorum apothetis nactus, huic credidit (III, 104. cll. Melet. I. 129). De prooemii testimonio Welckerus magnificentius quidem et fortasse rectius statuit, quam ego olim (v. supra cap. I.); sed paucis notum fuisse, neque valuisse satis, res ipsa docet. Sed quî factum putemus, ut Homeridae Chii plurium suffragia non tulerint, jam supra significatum est. Utrumque enim ambiguam faciebat fidem, et quod ii, qui Homeridas se genuinos ferrent, rhapsodiam amplius non exercebant, et quod alii multi ap. Chios vel in aliis terris propter rhapsodiam Homeridae dici coepti erant. Gravissima autem caussa in aliarum urbium famâ aut

antiquiore aut omnino praepollente nimisque corroboratâ continebatur. Id quod propter testes antiquiores Pindarum et Stesimbrotum aliasque rationes mox afferendas in *Smyrnam* maxime cadere dixerim. Pro Smyrnaeis nullus unquam scriptor vernaculus contendit; quod quum caussae per se bonae fidem facit, tum Ephorus ipsique Cumaei, et pari modo Ietae, jus illud Smyrnae, veteri fama sancitum, adeo reverenter habendum censuerunt, ut nihil in suam urbem transferre auderent, nisi matrem aut majores poetae. Ipsi Smyrnaei quanta in caritate et honore habuerint Homerum, Strabo memoriae prodidit (XIV. 646). Quod si auctoritatem iis non addit, certe Meles fluvius nonnihil momenti habet. Meletis enim filius facile vocabatur, qui prope fluvium illum genitus fuit ex Maeone vel quocunque alio. Meletis filium autem etiam Colophoniorum epigramma tenet, quamvis Colophonem potius patriam efferat (vita ap. Plut. 4). *) De *Colophone* ipsâ quoniam pluribus locis disputavimus, nihil nunc disserendum puto. Serius eam majores sumpsisse spiritus, et maxime post Nicandrum, mihi semper veri admodum simile visum est.

§. 3. Tantum fere discrepantiae et contentionis de Homeri patria evaluisse et percrebuisse arbitror usque ad Ephori aetatem; modo ut Argos excipiam, de quo nihil constat. Quod vero in Ephori et Aristotelis testimoniis commissum est, ut alter a vitarum excerptoribus Cumaeum omnino dixisse traderetur, alter Ietam (cfr. Gell. III, 11, 6), simili negligentiâ saepe peccatum est. Si quis Suidam inspiciat vel Antipatri epigramma vel aliorum, miram urbium multitudinem deprehendet, quarum plerasque facillimo negotio summovemus. Primum quod Lydus a quibusdam habitus dicitur, propter Maeonem Lydum factum interpretamur, cui Cretheis tradita ferebatur ab Ietis; itidem propter majores, inter quos Thamyras quoque, 47

---

*) Duentzerus in Zimmerm. Diar. a. 1836. fasc. X. fol. 131. Melesigenem non a fluvio sed a *μέλεσιν* appellatum esse putat. Verum ea hariolatio est mera. — Ecquid recte testetur Choerob. ap. Bekk. Anecd. 1398. *Μήλης Μήλητος· ἔστι δὲ ὄνομα ποταμȣ̃ τῆς Κολοφῶνος*, non liquet; quanquam translatum fluvii nomen esse propter Homerum, ad suspicandum haud absurdum est.]

Thessalum dictum a nescio quo argutulo, ex initio Pheudoher. intelligitur; Pylus, quae patria in epigrammate per saturam ponitur, nisi id ad otiosorum lusus adjiciendum, in partem venit Colophonis. Civis Colophonius, si a stirpe proavos numerabat, Pylium se esse reperiebat; Colophonis enim conditores ex Pylo profecti erant. Nihil moror Grynium, Cenchreas in Troade, Gnosum Cretae, quae in Suidae farragine aggregantur, quoniam sat exhibuisse videor speciminum ejus sollertiae, qua has quoque urbes in controversiam immissas esse nimium probabile est. De aliis infra ordine dicam; de *Athenis* jam nunc, quantum opus est, exponam. Athenienses ipsos ante aetatem illam literatissimam, quae a Peripateticorum variâ doctrinâ profecit, nunquam ne in somnis quidem Homerum sibi civem adscivisse, quum ipso oratorum silentio disertissimo testatum habemus, tum ad nostram caussam non videtur leve esse. Si enim Pisistratidarum illa cura tantum valuisset ad Homeri carmina conformanda, quantum Wolfii rationes postulant: satis cito sine dubio exortus esset, qui Athenis natum poetam ferret. Verum, quoniam de Aristarchi rationibus et verâ sententiâ supra professi sumus, ne postea quidem Atheniensis Homerus aliter a quoquam dictus est, nisi si quis eum, qui Colophoniorum vel Smyrnaeorum etiam civis fuisset, in Athenarum civitatem per lusum adoptavit, coloniarum illo jure ad lepide fingendum abusus (v. schol. Aristid. p. 97. et epigrammata).

Interposui haec licentiae vel sollertiae exempla, ut in ipso statim
48 ingressu narrationis, quae de insequentium aetatum inventis futura est, modum ostendam, quo Homeri historia magis magisque perturbata esse videatur. Proponant igitur lectores animo suo literatissimae illius et operosissimae aetatis imaginem, quae statim post Aristotelis tempora quasi ingruit, et aequabili prope fertilitate tam largos proventus habet, ut nostras nunc copias an aequaverit, non immerito dubitemus. Hujus sedulitate quid in literis Homericis effectum fuerit, facile cognoscitur ex conjunctis Pausaniae, Luciani, Gellii vocibus *), qui uno ore omnes quaestionem de

*) Paus. IX, 30. Lucian. encom. Demosth. 9. Ver. hist. II, 20. Gell. III, 11.

Homeri patria et aetate tam implicatam dissidentium doctorum judiciis
conqueruntur, ut aut desperanda aut, si quis suo quodam judicio frui velit,
in multorum invidiam offensamque incurrendum sit. Tum qui cautiores
ignorantiam necessariam subire non detrectabant, caussam obscuratae me-
moriae poetae peregrinationes afferebant (Dio Chrys. XLVII. p. 222).
Quamquam, si quid recte existimamus, etiam tum aliquis, cui acumen et
studium suppeteret, tantum certe dispicere potuit, quae urbes veteris famae
auctoritate et antiquiorum suffragiis locum obtinerent, et quae recens sin-
gulorum hariolatione et argumentatione in illum contendentium numerum
illatae essent. Quod Lucianus, doctorum controversias ridens, noluit,
Pausanias non ausus est facere, id nos nunc diligenti reliquiarum usu
efficere conamur. Et porro plurium saeculorum spatium testimoniorum
indiciis in duo breviora dispescimus. In epigrammate Antipatri, quod in
vita ap. Plut. legitur, Colophon, Smyrna, Chios, Ios, Salamis et Thessalia
enumerantur; aliud epigramma, quod Varro adscripsisse videtur (ap. Gell. 49
III, 11), quanquam dubito, an aliâ a manu in Gellii exempla illatum sit,
septem urbes has habet: Smyrnam, Rhodum, Colophonem, Salamina, Ium
(s. Chium), Argos, Athenas. Cum his committimus Ciceronis locum pro
Archia c. 13. (Ciceronis enim esse eam orationem, nunc scholiorum testi-
moniis satis constat). Intelligimus eum non omnes omnino urbes percen-
sere, sed sublegere ambitiosissimas, Colophonem, Chium, Smyrnam, hisque
inserere Salamina. Accesserant igitur plures, de quibus supra professus
sum; praeterea, si Gellius illud epigr. apud Varronem legit, Rhodus. Ne-
que id mirum. Varronis enim aetas ab Aristotele duobus integris saeculis
distat; quae saecula quam exercita fuerint in Homero tum interpretando,
tum exornando, sane quam meminisse attinet. Doctorum autem id operâ
factum esse et illis, quibus demonstravi, artibus tentatum, quis negare
ausit? Novorum inventorum quae apud cautiores auctoritas fuerit, Strabo-
nis mentionibus aliquatenus existimare licet. Qui de Smyrnaeorum *) et

---

*) XII. p. 35. *Μέλητα, τον παρα τὴν Σμύρναν ῥέοντα, τὴν ὑπὸ τῶν πλείστων λεγομένην αὐτοῦ πατρίδα.*

Chiorum argumentis disertius exposuit; Colophonium esse qui dicerent, breviter retulit; Cumaeos eum sibi adsciscere, non praetermisit; in Io insulâ defunctum et compositum narrari verbo testatus est; de Cypro, Rhodo, aliis nihil quidquam commemoravit. Atqui ipsius prope Strabonis temporibus Aristodemorum Nisaeensium alteruter Homerum Romanum finxisse videtur; ita enim vita ap. Iriart. (cfr. Voss. de hist. p. 137 squ.). Tenuit cursum mala sedulitas porro. Ea aetas, quae Strabonem inter et Gellium Lucianumque interest, minime abstinens a novis commentis, vidit, qui Aegyptium fuisse Homerum contenderent. Profecerant hi ab iis, qui jam ante Diodorum Siculum (1, 96 et 97). Homerum Thebas Aegyptias ipsum adiisse ex Helenae poculo medicato conjectaverant; erant autem omnino in ea secta, ut Aegyptum omnis sapientiae nutricem venditarent, et ab Orpheo usque multos Graecorum magistros scientiâ non domi sibi natâ sed peregre petitâ inclaruisse docerent. Sciunt, qui opinionum apud Graecos vicissitudines norunt, qua mente quantoque studio istam peregrinitatis opinionem amplexi sint Apologetae christiani; ut mirum accideret, si Clemens Alexandrinus sacerdotum illud de Homero Aegyptio inventum (Babylonium esse lusit Lucianus) non probasset. Nunc quod Strom. I. p. 302. eodem calculo Pythagoram Tuscum et Homerum Aegyptium comprobat, hac usus testificatione: *Ὅμηρον γὰρ οἱ πλεῖστοι Αἰγύπτιον φαίνουσιν,* id satis intelligimus nihil continere nisi opinionem ejus aetate satis crebram. Procudit eadem aetas multas alias hariolationes. Ithaca oriundum esse Hadriano deliberanti Pythia respondisse fertur, de sacerdotum ipsorum incertum an de aliorum sententia. Auctorem alium (v. agon. script.) relatum non legimus. Neque tamen cessatum est, quin hoc quoque inventum varie exornaretur. Non omnes Telemachum patrem, matrem Polycasten dixerunt, sed aliam matrem Ithacensem, *ὑπὸ Φοινίκων ἀπεμποληθεῖσαν.*

Appendix. *)

Disseritur de fide formulae Homericae

οἷοι νῦν βροτοί εἰσι.

Leguntur in carminibus Homeri loci aliqui, in quibus poeta verbis *οἷοι νῦν* III
βροτοί εἰσι aequaliter adjectis suae aetatis homunculos robore ac vigore corporis heroibus, quorum res gestas narrat, longe inferiores testari videtur. Sunt autem hi Il. V, 304. XII, 383. 449. XX, 287. Hi igitur loci quoniam, si ipsius Homeri sunt, haud dubiam faciunt fidem, eum ab heroum aetate magno intervallo disjunctum vixisse; ille, qui poetam Trojanis temporibus supparem potius floruisse statuit, ***Bernhardus Thierschius*** **), sententiam admodum infirmam eo quoque argumento vindicare conatus est, ut formulam illam ab Homero ipso ne semel quidem positam, sed aetatis ejus, quae Homerica finxerit et refinxerit, progressu a rhapsodis quater illatam doceret. Nos Homero aetatem multo posteriorem longe gravioribus argumentis constare censemus quam istius formulae fide. Verum lubet tamen paucis disceptare, interpolationis ista suspicio ex verone inventa, an irrita sit et inanis, an denique dividenda videatur sententia.

A criticorum veterum et scriptorum auctoritate loci, quos quaerimus, satis tuti sunt. Alexandrinos de iis dubitasse, nullum vestigium est. E Romanis autem scriptoribus alii eos imitantur, alii disertiore etiam testificatione perhibent, genus humanum jam antiquissimo poetae decrescere vi-

---

*) Edita est in Ind. schol. aest. a. 1835.

**) *Über das Zeitalter und Vaterl. des Homer. 2te Aufl.* p. 142 sqq.

sum esse: Virg. Aen. XII, 900. Juven. Sat. XV, 69. Plin. H. N. VII, 16. Quibus omnibus non plus tribuimus, quam ut integrum nobis esse statu-
IV amus judicium, totumque aptum ex ipsorum locorum enarratione. Quos antequam inspiciamus accuratius, in nescio quem divinationis usum paucis disseram, quantum deprehendamus in Homericis ejus opinionis, qua posteriorum plurimi hominum aetates sensim in deterius lapsas esse aut labi queruntur. Est haec res ad definiendum ambigua et anceps. Hesiodeae enim illius doctrinae, quae de aurea quondam primorum hominum felicitate generumque depravatione est, nihil quidquam reperitur in carminibus Homeri. Haec opinio, quae communem hominum pravitatem impietatemque incusat, non ante prognata est, quam adolescente paullatim rationis vi taedium sui desideriumque melioris animos cepisset *). Homerica aetas, quum tales conscientiae caussas procul habeat, mores degenerasse aut degenerare nihil conqueritur. Sed, dum laeta praesentibus in vigoris, fortitudinis, obsecundantisque huic prudentiae admiratione tota est, prioris tamen aetatis homines et ipsa venerabunda respicit. Neque enim Nestor tantummodo trisaeclisenex more illo senili priorum praestantiam celebrat (Il. I, 272.), sed etiam juniores passim Herculi aliisque antiquioribus eam virtutem concedunt, quacum ipsi contendere nolint (Od. VIII, 223. Il. V, 636). Tantum igitur quum constet; porro quaeritur, quales quantosque ipsos informaverit poeta heroes, quorum facinora casusque persequitur; immanesne an insignes quidem et admirabiles, ut tamen humanam quae habetur mensuram vix aut ne vix quidem excederent. A cujus dubitationis disceptatione ad id quod propositum est dirimendum ultro pergemus.

Per quattuor sententias descendendum est, ut de eo, quod in universum quaerimus, vero temperamento constet. Non immanes corpore ac viribus Homerus heroes repraesentat, ne validissimos quidem. Ipsis verbis a Gigantibus eorumque similibus, quos illis a Jove deletis (Od. VII, 59.) in terris longinquis Ulysses convenit, viros virorumque ad illos pusillorum

*) Subtilius de aurea aetate disputant Plato de leg. IV. 713. Dicaearchus ap. Porphyr. de abstin. IV. p. 294. Rhoer. Posidonius ap. Senecam Ep. XC.

mensuram discernit (Od. X, 113. 120. IX, 515). Ceterum e singulis, quos antiquitas immaniores fuisse tradit, Otum cum Ephialte et Orionem commemorat (Od. XI, 309). Tali igitur immensitate remota, quum neminem suarum fabularum heroem Homerus ad Giganteae magnitudinis miraculum exornaverit, proceritati tamen corporis tantum tribuit, ut ne pulchritudo quidem vel dignitas illa virilis ejus judicio figurae humanae constet, nisi magnitudo accesserit. Hinc illud est, quod καλός τε μέγας τε tam saepe junguntur (Il. XXI, 108. Od. I, 301.), et magnum esse in laudis parte ita ponitur, ut vel aliis artibus qui decori sunt, proceri tamen corporis ornamento quasi necessario insigniantur (Od. IX, 508). Statuebat autem Homerus ita ex communi fere Graecorum sensu; et Herodotum quidem prorsus similiter loqui audimus (*v. Hoffmeister, Lebensansicht des Herodot* p. 82). Quapropter illud certe consentaneum fuit, ut posteriores Graeci, quos heroas virtutis popularis simulacra colebant, eosdem etiam statura grandiori fuisse crederent. Cujus opinionis fidem illis quidem etiam ossa faciebant quaedam de oraculi consilio eruta, quae Orestis, Thesei, Ajacis esse nemo dubitabat: Herod. 1, 68. Plut. Thes. 36. Paus. 1, 35 *). Sed, ut ad Homerum revertamur, ne is quidem heroum speciem non ultra solitum amplificasse videbitur, si ejus carmina vera cum intelligentia legerimus. Atque audire mihi videor mirantes, si quis aliter sentiat. Quanquam quod speciem ampflicasse dixi, accuratius explicandum est. Non is est Homerus, qui externa heroum quasi monstrorum specie auditorum lectorumque animos percellere studeat. Quin raro ipsas figuras heroum describit, idque ubi facit, ut Il. III, 166 sqq. 193 sq. 210 sq. 227, ita facere videmus, ut nunquam putidus, semper aut staturae ornamentis dignitatem heroibus conciliet, aut, quanti qualesque fuerint, effectu sentiri malit quam suis verbis efferri (Il. VII, 211 sqq. XIII, 321. XX, 44); denique vigorem nervosque eorum demonstrat potius quam corpora adspectu grandia et formidolosa. His ita breviter et admonendi causa descriptis illud videndum est, quod ad propo-

---

*) Atque adeo Gigantum et Oti et Antaei ossa feruntur esse inventa: Paus. VIII. 32 extr. Plin. H. N. VII, 16. Plut. Sertor. 9.

VI sitam dubitationem proprius spectat, quo modo Homerus virium illam excellentiam, qua nobilissimum quemque ex heroibus insignem habet, illustrare soleat et quasi metiri. Ac primum ipsorum inter ipsos praestantiam signis quibusdam disertis ostendit. Patroclus quum amico statura et figura corporis tam similis sit, ut reliquam ejus armaturam et induere et gestare commode possit, unam hastam relinquere cogitur (Il. XVI, 140). Huic autem simillimum exemplum arcus Ulyssis (Od. XXI, 253). Sed ne tritioribus immorer, praevertor ad eos locos, quibus docemur, Homerum iis omnibus, quos *ἄνακτας, βασιλῆας, ἡγεμόνας* appellat, et ipsa generationis sorte diviniores habet (v. annot. ad Odyss. IV, 25), communi quadam praerogativa eximium robur eumque vigorem addere, quo tanquam inexstincto gregarios milites, qui sub eorum auspiciis militant, longe superent, vel si seniores sint. Nestor, quamvis provectus aetate, tamen poculum magni ponderis, quod alius (minister vel de Pyliorum grege quivis unus) movere non solebat nisi aegre, facili manu tollebat (Il. XI, 636 sq.). Magis insita haec virtus in Achille eminet: Il. XXIV, 453 sqq. Januam aulae, quae tentorio ejus circumdata est, firmat vectis tantae molis, ut ab Achaeis (h. e. sub Achille militantibus) inseri aut reserari non possit, nisi conjunctis trium viribus; at ipse eum solus tractat. Quem locum non dissimulabo aliquam dubitandi caussam habere; nam videtur ibi non tam Achillis quam Mercurii solius vis major efferenda fuisse; attamen non continuo affirmem, versum qui de Achille est interpolatione esse ascitum. Disertiore etiam discriminis nota Hectoris vigor valorque supra milites de grege extollitur Il. XII, 447. *λᾶαν φέρεν-τὸν δ'οὔ κε δύ' ἀνέρε δήμου ἀρίστω Ῥηϊδίως ἐπ' ἄμαξαν ἀπ' οὔδεος ὀχλίσσειαν.* Quibus verbis qui in editis adjicitur versus, *οἷοι νῦν βροτοί εἰσ'· ὁ δέ μιν ῥέα πάλλε καὶ οἶος,* eum huic quidem loco ab ipso poeta non esse insertum, B. Thierschius recte censuit; sed damnandi rationem potissimam non satis animadvertit. Postquam enim Hectoris virtus cum gregariorum potius militum imbecillitate comparata est, prorsus absurde illud *οἷοι νῦν βροτοί εἰσι* superadditur; neque dubium, quin *ἀνέρε δήμου,* id quod
VII Heynius observavit consectariorum incuriosus, eodem modo dicantur quo Il. II, 198; neque habeo, cur *δήμου ἀρίστω* h. l. aliter positum dicam atque ib.

XI, 328. Haec igitur ratio quum tantum valeat, ut ne ferendum quidem versum esse intelligamus, accedit altera, quam Thiersch. verbo significavit. Altera pars versus premit potius loci sententiam quam illustrat. Longe enim ad ornandum Hectorem illustrius est, si ipse, qui lapidem ingentem quasi lanae globum defert, recta opponitur illis, qui ne ex solo quidem in currum onus tantum excitaturi essent. De hoc igitur loco quum nobis cum B. Thierschio satis conveniat, de reliquis assentiri non possumus. Neque enim, quod versum illum non aliis in locis legimus, nisi qui de lapidum jactu sunt, id nos continuo movebit, ut vel interpolatum vel certe propagatum censeamus. Quippe justa interpretatio eum satis tuetur, idque adeo Il. XX, 287. quo facillime ex V, 304. translatus esse simul cum proximo superiore videri posset. De loci ratione autem sic habendum. Potest ea breviloquentia, quae sublatis duobus versibus existeret, eo commendari, quod Aeneae non jactus verus, sed conatus narrandus sit; attamen vel sic et Aeneam statim significatum requirimus, neque lapidis ornamenta molesta sunt. Neque cuiquam in mentem venire debet, posse unum illum versum, qui formulam illam continet, deleri servato altero; ita enim quominus faciamus vel illa ὃ οὐ δύο γ' ἄνδρε φέροιεν impediunt, quae dici non potuisse nisi de quasi praesentibus, intelliget qui modorum rationem teneat. Confidentius de Il. V, 303 et 304. pronunciare licet. Eo l. versibus istis ejectis narrationis forma nasceretur, quae ab Homeri more prorsus abhorreret; praesertim quum ejus usus ita ferat, ut per ὁ δέ etiam is declarari possit, de quo oratio est antecedens. Quod vero Thierschius vulnus lapidis jactu inflictum grave esse negavit, quod aucto in istum modum ponderi conveniret, verba parum considerasse arguitur. Quanquam etiam alii nonnulla minus recte interpretati sunt; nam V, 308. ὦσε δ' ἄπο ῥινὸν τρηχὺς λίθος reddenda sunt: retrusit autem lapis asper *scutum* (non *cutem*), id quod et loci ratio et usus verbi requirit. Plane expedita res est de eo loco, qui unus reli- VIII
quus est, Il. XII, 383, Thierschius in eo refingendo singularem libidinem exprompsit; exhibuit enim versus 381—83 in hunc modum consutos:

κεῖτο μέγας παρ' ἔπαλξιν· ὁ δ' ὑψόθεν ἔμβαλ' ἀείρας.

Praestabit autem intacta relinquere, quae nisi tali molimine non moventur. Neque vero plus tribuere possumus rationibus communibus, quibus V. D.

usus est: „χερμάδιον non esse, nisi lapidem, quem manus capiat", et „mirum videri, quod formula iis locis desideretur, ubi maxime exspectes, in pugna Ajacis et Hectoris Il. VII, 264 sqq. et ubi Minerva Martem jactu petit Il. XXI, 403." De χερμαδίῳ sic habeatis: esse *lapidem, qui manu jactetur*, ut, utrum major an minor sit, ipso vocabulo non significetur. De altero autem argumento facile assentientes habebo, aut nimis illud a Thierschio curiose quaeri, aut non animadverti, inesse illis locis alia, quae lapidum pondus amplificent. [Defendere suam sententiam conatus est Thierschius in Nov. Anal. Philol. et Paedag. Supplem. T. IV. fasc. III. p. 433 sqq.; sed me judice parum profecit.]

Commentatio tertia. *)

De rhapsodia aetatis Atticae diligentius quaeritur.

I.

De rhapsodis quaerendi condicio quae nunc est proponitur.

Unus restabat de tribus locis, quos in priore fasciculo Meletematum stric- 3
tim ac brevius positos in posteriore enucleatius exponere consilium fuit. Ut enim illud quoque certius constaret, quod semper usurpavimus, etiam antiquiorem atque proximam ab Homero aetatem rhapsodia et scriptis exemplis juxta usam esse: committere alteram rem cum altera et rhapsodiae memoriam cum literaturae historia aequiparare volebam. Omissâ igitur, quae supervacanea videbatur, narratione de rhapsodis Platonicae aetatis, statim a Pisistratidarum institutis retro pergere statueram. Nunc mihi doctorum quorundam virorum disputationibus vindicias quasdam impositas video, quae ante transigendae sunt, quam cursum institutum persequi liceat. Dum enim ego, qui parvus operosa —, aliis curis distineor, exstiterunt alii qui me de rhapsodis Wolfio nimium, alii qui parum concessisse censerent, alii denique in nova omnino et inaudita inciderunt. Itaque de rhapsodorum vocabulo et vera opera, de eorum facultate ac dignatione, de instituto Panathenaico, ea nunc scripta leguntur, quae si vera essent, palinodia mihi opus foret. Quapropter, ut tuear meam, quae media est quaedam et interjecta, sententiam, illa quae pridem in *Prolegomenis ad Platonis Ionem*,

---

*) Edita est ineunte a. MDCCCXXXV.

4 in *Praeparatione indagandae per Odysseam interpolationis*, et in Melete-
matum fasc. I. p. 138 sqq. de rhapsodorum rationibus disserui, nunc accu-
ratiore enarratione testimoniorum illustranda, judicioque finitiore conclu-
denda sunt. Ut vero quid velim facilius intelligatur, conveniatque tandem
de rhapsodia quod verum est et aequum: mea ipse disputatione rem com-
plectar, inque ejus cursu componam si quid ab aliis turbatum est. Unum
tamen ex iis, quibuscum mihi controversia est, non possum quin statim
actione vel divinatione quadam disertius appellem.

Kreuserus, facetissimus ille et plurimarum literarum, sed cui ante
omnia illud Corinnae succinas: *τῇ χειρὶ δεῖ σπείρειν, ἀλλὰ μὴ ὅλῳ τῷ θυλάκῳ*,
is libro ampliore, quem de rhapsodis scripsit, *) universam doctrinam
Wolfii, qualis quantaque est, evertisse et pristinam opinionem instaurasse
sibi videtur. Video igitur socium; verum si mihi rationes cum eo accura-
tius comparandae ac decidendae, sententiam non modo dividendam, sed
ipsam propemodum societatem detrectandam video. Nam omnino lubricum
videtur, eum usquam sequi, qui a critica ratione historiae ipso animo ab-
horrens nil non calidius tractat, quique praecepto illo, quod nos Graeciae
maxime instituta ad ipsam naturam vitaeque lucem revocare jubet, tam
incaute abutitur, ut aetatum populorumque ingenia nihil fere discriminet.
Quodsi posterior libri pars multa habet verissime disputata, et ad coar-
5 guendos errores utilissima: longe deterior ac deterrima anteriorum capitum
condicio, quae de rhapsodorum existimatione, opera, nominibus, ipsaque
6 origine scripta sunt. Incautum autem interpretem statim in ipso principio
libri offendimus. Namque quasi ab omnibus concessum sit, Ionem Platonis
testimonia de rhapsodis locupletissima continere, omnem disquisitionem
Kreuserus ab hujus dialogi enarratione orditur, et ceteris ejusdem Platonis
testimoniis gravissimaque Aristotelis auctoritate neglecta, aliorum locis, qui
propter metaphoram alieni sunt, prava interpretatione ascitis, id quod sibi
effecisse videtur his fere verbis complectitur p. 43 sq. „Exhibuimus, inquit,
rhapsodos, quales Plato, Xenophon, Demosthenes, Isocrates, Aristophanes
et si qui praeterea ipsos viderunt, cognitos habuerunt. Ex his aequalibus

*) *Homerische Rhapsoden od. Rederiker der Alten.* Cöln, 1833. S. 339. 8.

nemo repertus est, qui honorificentius quidquam in eos conferret, neque magis, qui olim duntaxat laudi affiniores fuisse significaret; imo viri illi, quamvis et praestantes et humanissimi, turpiter eos et ignominiose abjiciunt cuncti. — Quare si istis ad verum designatis vera nomina ponere volueris, artifices vagos, circulatorios, declamatores, de trivio sophistas, interpretes carminum insipidos, de artibus balbutientes, appellare licebit, ut qui carmina nunc in theatris (ornati ut reges de scena p. 36) declamitarint, nunc in circulis et porticibus sophistarum more interpretati sint, lucelli caussa utrumque." His peroratis sequitur alterum caput, quo Kr. eandem infamiam rhapsodis ex ipso vocabulo conflare studet, tali fere usus disputatione: *ῥάβδον,* bacillum, declamatores gestasse illos quidem non secus atque histriones, sed rhabdodos non appellari nisi ex interpretatione scholiastarum, alterum vero nomen, quod unum testatissimum sit, quo rhapsodi, sutores carminum, ferantur, id poetas opifices ex consutis undique prooemiis invenisse, sed ignominiose impositum ab aliis; quanquam prooemiorum usus 7
et necessarius fuerit (neque enim aliter intelligere potuisse auditores, quid esset, quod pronuntiaretur), et aliquam ex prisca sacrorum consuetudine excusationem habuerit. Qualia vero fuerint prooemia, suo quodque sacro et loco accommodanda, specimine Kr. a se consuto demonstrat. Has duorum capitum disputationes levissimas excipit aliquanto ad speciem gravior, quae in ipsas origines rhapsodiae inquirit. Ut vero ibi maxime oratio susque deque fertur, neque, ubi ex deverticulis in viam redit, rationes apte colligit: non modo persuasionem non efficit, quam vult, verum etiam ipsa, quae insunt, momenta argumentationis obruit. Exhibeam tamen, quantum vel mihi intelligere contigit, vel omnino ad rem pertinere videtur. Exorsus Kr. a testimonio Dionysii Argivi ap. schol. Pind. ad Nem. 11, 1. fidem huic immerito derogari putat. Verum quam ei tribuit auctoritatem, eam ne ipse quidem habet quî tueatur, nisi si verba ejus sic liceat interpretari: Primo, quum Homericae poesis partes tantummodo ferrentur, eos, qui ejusmodi partes in ludis proposito ovis praemio pronunciarint, *ἀρνῳδοὺς* appellatos esse; post, ubi Ilias et Odyssea totae allatae fuerint sive Athenas, sive Argos, sive omnino in Peloponnesum, tum alterum exstitisse genus eorum, quibus, quia prooemia undique concinnare et partibus pronunciandis

praefigere consuevissent, rhapsodorum nomen additum sit. Utitur Kr. h. l.
iis quae p. 68 squ. dixerat. Sed eum neque illic Eustathii neque h. l. Dio-
nysii verba recte perspexisse, infra docebitur. A tali igitur orsus initio
Kreuserus has deinceps ponit sententias: Priscos illos *ἀρυῳδὲς* non secus ac
τραγῳδὲς et *κωμῳδὲς* inter rusticos feriantes quaerendos esse, maximeque
8 apud Dorienses. Inter paganorum enim vindemias et ludicra illa aetate,
quum etiam chori vel tragoedorum vel comoedorum nondum fabulas, sed
nescio quid nugarum aut argumenta promiscua canere, saltare, actitare
soliti sint, illo igitur tempore etiam narratores fuisse, qui ex epicorum
atque Homeri maxime carminibus si quas partes memoriter tenerent, eas
pronunciarent: his ovem praemium fuisse, ut illis hircum. Mox illud
evenisse, propter quod rectissime dicas, rhapsodos et histriones ex eadem
quasi radice natos esse. Nam Thespidem chori sui, etiam tum sine arte
ludentis, cantibus ac tripudiis istiusmodi narratores epicos interposuisse,
qui singuli (*μονῳδοί*) audientium coronam fabula sive hilari sive lacrymabili
oblectarent; quam fabulam si ex Homero illi sumpsisse fingantur, haberi
extemplo rhapsodum vivum vigentemque, quippe qui pari modo semper
μονῳδὸς fuerit. Nam posteaquam argumentum, adjecto interloquutore vel
altero histrione, in dialogum, actionem, veram denique tragoediam cesse-
rit, interque ipsum illum nascentis tragoediae progressum, coepisse quosdam
motam loco suo monodiam epicam suopte periculo in rhapsodiae consuetu-
dinem convertere. Confici rem, omnemque denique de rhapsodis contro-
versiam dirimi testimonio Clearchi ap. Athen. VII. init. qui sic testetur:
exoluisse sollemnitatem rhapsodorum, olim in Dionysiis actam: processisse
tum singulos, et deo tanquam munus rhapsodiam obtulisse. Hos Dionysio-
rum rhapsodos Kr. non aliena carmina pronunciasse putat, sed sola prooe-
mia quaedam in dei honorem. Isto autem testimonio potissimum constare
dicit, rhapsodos Homeri aliorumque poetarum inter ipsa tragoediae pri-
mordia esse ortos. Quod enim, dum inter feriantis populi oblectamenta
9 fieret nativo quodam impetu, licentiam paratissimam plausumque habuisset,
id putidum atque vile factum esse, postquam in artem istam mercenariam
cessisset. Videlicet Kreuserus plurima ita disputat, quasi plebs in artibus
una saperet, atque omnia, quae non animi caussa sed mercede fierent,

omnem continuo dignitatem exuerent. Quanquam hunc quidem errorem molliter ferendum putaremus, dummodo ceteroquin de rhapsodiae natura atque usu verum quidquam attulisse reperiretur. Sed ut mittamus ea quae de tragoediae incrementis parum docte exposuit; ne illa quidem, quae ad demonstrandam rhapsodiae originem Atticam, seram, Wolfianae opinioni iniquissimam, quasi de historiae fide concinnavit, constare ullo modo possunt. Testimonium illud Clearchi, in quo summa omnia versari Kr. putat, videtur ille ita in rem suam asciscere, ut ex duplici consuetudine priscorum Dionysiorum unum opus rhapsodorum coaluisse fingat. Quum enim ante alii prooemia vindemiarum deo obtulissent, alii fabulas epicas narrassent, post exstitisse suspicatur, qui prooemiis similiter consutis partes epicorum carminum subjungerent. In quo non vidit, neque quam temere eam ipsam rhapsodiam, quam ipse interpretatur, a Clearcho dictam sumat, *) neque hoc alterum, quod latissime patet, prooemia multis diis deabusque, et a poetis atque cantoribus plurimis maximeque variis, esse dicta. Quid denique, si totum illud, quod rhapsodiae vocabulo subesse censet, veriore doctrinâ subversum corruerit? Faciam enim, quod ipse Kreuserus a me 10
omnino factum mallet, et meam potius viam ingressus quid historia loquatur persequar.

II.

Attici scriptores qualem quum viderint tum omnino interpretati sint rhapsodiam, exponitur.

Quamvis exploratum videatur, Iliadem et Odysseam non secus atque alia similis magnitudinis carmina, Thebaidem, Epigonos, Aethiopidem, aliaque plurima, multo ante Pisistratum scriptis exemplis servatas esse: nemo tamen Graeciae ingenium institutaque studiosius perdidicerit, quin 11
agnoscat, illam gentem etiam inter literas creberrimas vivae tamen vocis usu laetissimam, poetarum acceptissimum quemque publice audisse magis

*) [Cfr. Welcker. de cyclo p. 391.]

quam lectitasse. Nam intelligimus quidem facile, vel inter remotioris aetatis poetas non ita paucos fuisse, quorum carmina in ludis aut nunquam aut admodum raro placere potuerint. Videmus etiam, pronunciandi artem mature ita excultam, auresque auditorum tam fastidiosas fuisse, ut multi poetae neque ipsi publicae pronunciationis periculum subirent, neque artifices nanciscerentur administros, nisi genere dicendi satis actuoso et agonistico usi fuissent. Attamen idem Plato, qui Antimachum de scripto potius recitantem audivit, de poetis saepe multumque auditione publica celebratis auctor disertissimus exstat. Nam in libris legum quum publicam institutionis et humanitatis curam legibus atque institutis diligentissime instrueret (VI. 764 C. D.), ad eam vel maxime pertinere dixit, ut sui cuique agonum generi curatores constituerentur. Ea autem genera sic describit: *μουσικῆς δὲ ἑτέρους μὲν τοὺς περὶ μονῳδίαν τε καὶ μιμητικήν, οἷον ῥαψῳδῶν καὶ κιθαρῳδῶν καὶ αὐλητῶν καὶ πάντων τῶν τοιούτων ἀθλοθέτας ἑτέρους πρέπον ἂν εἴη γίγνεσθαι, τῶν δέ περὶ χορῳδίαν ἄλλους.* In quo non negligimus, quam multi istâ aetate poetarum carmina tradi atque explicari audierint a sophistis horumque similibus, quos Plato in eam quam mente descripsit civitatem admittere noluit. At illud perspicuum est, ludos publicos in publica disciplina locum insignem tenuisse, et ad discenda et imbibenda poetarum carmina contulisse plurimum. In quo publicarum pronunciationum usu quid egerit rhapsodia, jam ordine expediam.

12 De rhapsodiae vocabulo ac genere is demum recte statuet, qui eo certum quendam carmina pronunciandi modum contineri primum omnium ponat. Quod enim Eustath. ad Il. p. 6, 23 narrat: *οἱ δὲ πλείους τῶν παλαιῶν τήν τε ὅλην Ὁμηρικὴν ποίησιν ῥαψῳδίαν λέγουσι, καὶ ῥαψωδοὺς τοὺς αὐτὴν ᾄδοντας,* id optimorum auctorum fide constabit, si modo non tam totam poesin Homericam, quam omnem Homericorum carminum pronunciationem interpreteris, deinque animadverteris, eundem modum, qui in Homero celebrando creberrimus fuerit, non solum communem fuisse generis epici, sed etiam ad alia esse facillime translatum. Plato et Aristoteles quemadmodum tria fere poesios genera constituunt, epicum, melicum et dramaticum, sic suos cuique administros quasi et sequestres assignant, qui poemata in publicos usus confecta publice exhibeant (Plat. de rep. II. 373 B. *ποιηταί*

τε καὶ τούτων ὑπηρέται, ῥαψῳδοί, ὑποκριταὶ rell.). Atque epica a rhapsodis, melica a citharoedis vel auloedis, dramatica ab histrionibus exhiberi ita ubique perhibent, ut suam quibusque artem, arti quorumque propriam laudem tribuant. Nam id. de leg. II. 658. ubi praemia publice proponi fingit, si quis audientibus in theatro maxime satisfaciat, haec informat: *εἰκός που τὸν μέν τινα ἐπιδεικνύναι, καθάπερ Ὅμηρος, ῥαψῳδίαν, ἄλλον δὲ κιθαρῳδίαν, τὸν δέ τινα τραγῳδίαν, τὸν δ᾽ αὖ κωμῳδίαν.* Admonemur hoc loco etiam vocabulornm illorum, quae de omni genere artium publice ostentatarum usitata sunt. Utitur enim Pl. communi verbo *ἐπιδεικνύναι*, artis specimen exhibere, cui simillimum alterum *ἀγωνίζεσθαι*. Nam huic quoque verbo saepe non plus inest quam fere Francogallorum illi débuter, quum licentius usurpatur, Arist. poet. 18, 17. *ἢ ἐκπίπτουσιν ἢ κακῶς ἀγωνίζονται.* Neque verba Herodoti V, 67. *Κλεισθένης — ῥαψῳδοὺς ἔπαυσεν ἐν Σικυῶνι ἀγωνίζεσθαι*
distinctius quidquam continent quam hoc: vetuit rhapsodos amplius Sicyone 13
artem publice factitare; id quod re magis quam ipso verbo ad ludos publicos pertinet. Illustrabo autem usum verbi pluribus. *) Quum *ἀγὼν* sit contentio, quae discrimen habet (*ἔριδος ἀγών, μάχης ἀγών*, certaminis, pugnae discrimen), *ἀγωνίζεσθαι* saepe quidem eorum est, qui in ludis publicis certaminis sive gymnici sive musici discrimen subeunt (Plut. Pericl. 13. Phoc. 17); sed ipsam concertationem ei non subesse, docet prae ceteris locus Plutarchi De cap. ex host. utilit. p. 273. VII. Hutt. ubi *ἀγωνίζεσθαι ἐφ᾽ ἑαυτῶν* contrarium est ei actioni *ὅταν ἅμιλλα καὶ ἀγὼν γένηται πρὸς ἑτέρους*, videmusque *ἀγωνίσασθαι* dici omnes, qui vel singuli, atque etiam extra ludos sollemnes, coram spectatoribus auditoribusque edito artis specimine laudis judicationisque quoddam discrimen subeunt, suâve arte contendunt quodammodo. Scilicet *ἀγωνιστὴς* non tam cum aliis *ἁμιλλωμένοις* comparatur, quam cum iis qui et spectant et judicant (Thuc. III. 37). Neque eo in usu artium differentia tenetur; *ἀγωνίζονται* etiam ii qui coram rege aliquo psallunt (Plut. Pericl. 1 extr.). Quem usum qui reputaverit, facile sentiet, ne Dionysium

*) Non ab initio mihi ordiendum puto, quanquam ita quoque caussam facile tuerer, sed ea describenda, quae in communi non antiquissimorum usu versantur. Cfr. Thes. Steph. Paris. I. p. 588.

quidem Argivum, quum in schol. Pind. ad Nem. II. 1. rhapsodos agonistas appellet, alios describere, quam eos, qui in opere et actu versentur, artifices. Quanquam est sane quaedam vocabuli potestas, qua artis et operis ipsam rationem spectat, sentiturque potissimum in adjectivo ἀγωνιστικός. Illustratur res optime Aristotelis testimoniis Problem. XIX, 15 et Rhet. III, 12, 2. Sed ut disputatio ordine procedat, quid sit illud ἀγωνιστικὸν et quatenus in rhapsodiam cadat, infra potius dicetur.

14 Quoniam demonstratum est, et ἐπιδεικνύναι vel ἐπιδείκνυσθαι et ἀγωνίζεσθαι communiter omnes dici, qui arte contendant artisque specimina exhibeant, sequitur, ut quae sit rhapsodiae et rhapsodorum ratio propria, accuratius describamus. In quo eum errorem nihil morabimur, quo Wolfius olim rhapsodiam cum citharoedia confudit.*) Neque ipse videtur aliud voluisse, nisi hoc, etiam a citharoedis partes carminum Homericorum publice decantatas esse. Simili brevitate alterum componere licet, quod Kreuserus parum recte usurpavit: μονῳδίας dico discrimen. Μονῳδὲς veteres non distinguunt nisi communi quodam a χορῳδοῖς discrimine; μονῳδοὶ igitur rhapsodi vel tum fuerunt, quum alter alterum exciperet, utpote qui non concentu uterentur, sed agonistae singuli suam quisque carminis partem exhiberent (v. Plat. de leg. VI. 764 extr.). Sed praevertor illuc.

§. 1. Vocabula ῥαψῳδεῖν et ῥαψῳδὸς undecunque nata putaveris, **) certe illud concedendum erit, eâ parte quae verbo ᾄδειν praefixa est, modum aliquem pronunciandi et genus similiter declarari atque in ceteris compositis. Non minus vero constat, rhapsodiam epici generis fere propriam fuisse. Vidimus supra, rhapsodiam a Platone tanquam ipsius Homeri unum opus poni; cui loco alii accedunt, primum ejusdem scriptoris, quibus nunc Homerum et Hesiodum ipsos ῥαψῳδῆσαι testatur, nunc rhapsodos commemorat καλῶς Ἰλιάδα καὶ Ὀδύσσειαν ἤ τι τῶν Ἡσιοδείων διατιθέντας (de rep. X. 600 D. de leg. II. 658 D.). Quodsi alii auctores rhapsodos saepe tanquam eos denotant, qui non omnium communiter epicorum sed unius Homeri

---

*) V. Praepar. p. 14. Melet. p. 138 sqq.

**) V. Goetting. Praef. ad ed. Hesiodi p. XIII. Welcker. de cyclo p. 360 sqq. quorum uterque a bacillo vocatos esse fidem facit.

carmina publice pronunciarint, nihilo minus de universo rhapsodiae genere 15
in hunc denique modum recte statuere videbimur. Primum Platonem intelligimus rhapsodiam epici generis ita propriam habuisse, ut, quoniam epici poetae non secus quam ceteri sua carmina publicâ pronunciatione celebrasse viderentur, Homerum quoque Hesiodumque ῥαψῳδῆσαι diceret. Deinde testatissimum quidem habemus, eos, qui rhapsodiae artem publice profiterentur, praesertim in terra Attica, non modo omnes praecipuam operae partem in Homero posuisse, sed multos in eo uno consumpsisse et continuisse omnem. Neque tamen ideo universum rhapsodiae nomen atque genus poetae principi mancipandum putabimus; imo ne generi quidem epico. Sed quum Homerus proximusque huic auctoritate Hesiodus id ipsum genus quasi referant, huic rhapsodiam ita propriam fuisse videmus, *ut rhapsodia sollemnis epicos vix excederet, privata omne genus versuum complecteretur.* Quam rhapsodiae naturam atque indolem jam veterum quum exemplis tum ipsa doctrina illustrabo. Intelligetur, opinor, rhapsodiam esse omnino versuum quae memoriter fiat pronunciationem arte temperatam; neque enim unquam ῥαψῳδῆσαι dici eum qui de scripto recitet; neque solutam numeris orationem eo vocabulo declarari nisi translate; neque probri quidquam habere rhapsodiam nisi per translationem, aut ubi plus requiratur, quam ut versiculi vel aliae formulae decantentur. Ita quum vocabulum proprium sit pronunciationis, nunquam carmina ipsa ab antiquioribus rhapsodias appellari reperiemus, nisi quum ex sensu audientium existimantur, aut eorum qui pronunciant ratio habetur; neque ipsa poetarum facultas
atque opera verbo ῥαψῳδεῖν significatur, nisi quia saepe idem pronunciat 16
versus idem eos composuit aut modo natos nascentesque eloquitur; veluti apud nos, quum versus quem loqui dicimus, ambiguum est, ab alione factos memoriter tradat an suos tum ipsum subnascentes loquatur. Denique ipsa si quaeritur pronunciandi ars ac temperatio, *rhapsodiam optime a nobis declamationis, quae versuum est, genere designari,* ipsa veterum magistrorum doctrina persuadebit. Quanquam declamationem ita magis ex nostra consuetudine ponimus, quam ex Romanorum, qui declamationem ab actionibus forensibus distinguunt, harumque quandam, et omnino dicendi, meditationem interpretantur. Deinde ne nostra quidem declamatio plane

congruit cum Graecorum rhapsodia, si quidem rhapsodia, quum non esset nisi versuum, non potuit ad veri cantus similitudinem non propius accedere. At inter recitationem, quae de scripto fit, et actionem histrionalem similiter interjecta fuisse reperitur atque nostra nunc declamatio.

§. 2. Ex omnibus carmina exhibendi modis rhapsodiam simplicissimam fuisse, colligitur ex eo, quod quicunque privato consilio, inter sermones, sive docendi, sive oblectandi, sive denique animi caussa versus memoriter profert, is *ῥαψῳδῆσαι* dicitur, si modo clarius paullo eos extulerit. Quem usum privatum disjungamus primum a publico ac sollemni, quo hujus artem deinceps rectius explicemus.

a) Isocrates Panathen. p. 392. ubi meliorem disciplinam suam contra aliorum rhetorum obtrectationes defendit, horum, quos gregarios sophistas appellat, consuetudinem deterrimam hoc exemplo describit: *διελέγοντο περί τε τῶν ἄλλων ποιητῶν καὶ τῶν Ἡσιόδου καὶ Ὁμήρου ποιήσεων, οὐδὲν μὲν παρ' αὑτῶν λέγοντες, τὰ δ' ἐκείνων ῥαψῳδοῦντες.* Notari hos eam ob caussam, quod, suopte
17 ingenio nihil sapientes, versus declamitasse satis habuerint, manifestius etiam ex loco altero patebit p. 399. *οἶμαι γὰρ ἂν παῦσαι τοὺς ἐν τῷ Λυκείῳ ῥαψῳδοῦντας τὰ ἐκείνων, καὶ ληροῦντας τὰ περὶ αὐτῶν.* Quod his merito exprobrari potuit, id laudem habuit in Hermodoro grammatico, si quidem is qui a Venet. ad Il. φ, 26. laudatur, ut ego arbitror, et grammaticus fuit et cognomen *rhapsodi* habuit a memoriae promptitudine, qua versus Homeri reddebat. Saepius Lucianus verbo in eundem modum utitur: de luctu sub fin. T. VII. Bip. *τότε δὴ τότε πρὸς ἁπάντων ῥαψῳδοῦνται δύο τοῦ Ὁμήρου στίχοι.* Gall. §. 2. T. VI. 290 squ. *ὁ τοῦ Ἀχιλλέως ἵππος ὁ Ξάνθος ἔπη ὅλα ῥαψῳδῶν.* Conviv. §. 17. T. IX. 60. narrat, quum ebrietas plerosque occupasset, alium rhetorem dictiones quasdam persequutum esse, alium accepto de servi manibus libro recitasse, *ὁ δὲ Ἱστιαῖος ὁ γραμματικὸς ἐῤῥαψῴδει,* i. e. memoriter versus eloquebatur, ubi versuum declamitatio manifesto discernitur et a recitatione et a dictione metro non astricta. Quod vero sequitur: *καὶ συνέφερεν ἐς τὸ αὐτὸ τὰ Πινδάρου καὶ Ἡσιόδου καὶ Ἀνακρέοντος, ὡς ἐξ ἁπάντων μίαν ᾠδὴν παγγέλοιον ἀποτελεῖσθαι,* id ad vocabulum rhapsodiae nihil pertinet. Tanquam commune quoddam incertioris notae nomen carminum longiorum positam *μικτὴν ῥαψῳδίαν* credideris ab Aristotele de poet. I. Fecit autem ita idcirco,

quod significatum voluit, Chaeremonem variasse metris eas partes, quae, quoniam non cantu sed declamatione efferendae essent, ab aliis poetis uno eodemque metro continuarentur. *)

b) Idem Lucianus suopte paene exemplo ipsos poetas ea, quae versi- 18
bus eloquuti sunt vel celebrarunt suis, *ῥαψῳδῆσαι* scribit: quippe juncta sunt, quae ipse Iov. trag. §. 6. junctim ponit, *ἐποποιεῖν καὶ ῥαψῳδεῖν.* Toxar. §. 10. T. VI. 67. pro Imag. §. 24. T. III. 50. Jupp. Confut. init. et §. 2. ibid. 203. Accusativum autem rei, quae versibus dicitur, verbo *ῥαψῳδεῖν* etiam Aristophanes jungit Eccles. 679. *καὶ ῥαψῳδεῖν ἔσται τοῖς παιδαρίοισι τοὺς ἀνδρείους ἐν τῷ πολέμῳ,* quod est *ἐν ἔπεσιν ᾄδειν.* Id quod lege eâdem fit, quam in verbis *κωμῳδεῖν* et *τραγῳδεῖν τινα* deprehendimus; sed notio verbi nihil continet nisi numeros poeticos, versuumque pronunciationem.

§. 3. Quoniam jam nunc satis effectum videtur, rhapsodiam re vera eam, quam nos dicimus, declamationem versuum numerosam simplicitate aequare: sequitur, ut *usum ejus sollemnem* accuratius circumscribamus. Si pronunciandi simplicitatem spectas, sine dubio quodvis poematum ac metrorum genus isto modo exhiberi potuit. Sed, quantum video, in ludis publicis Graeci generum diversitatem ac naturam ita observarunt, ut rhapsodiam epicis et si quae his aequabilitate similia fuerunt propriam haberent, melica, quae commotiora et cantabiliora essent, vix unquam assa voce nudâque declamandi arte pronunciari paterentur. Parum recte aliquis rhapsodiam illam puerorum objiciat, de qua Plato in Timaeo p. 21. *ἡ δὲ Κουρεῶτις ἡμῖν οὖσα ἐτύγχανεν Ἀπατουρίων. τὸ δὴ τῆς ἑορτῆς σύνηθες ἑκάστοτε καὶ τότε ξυνέβη τοῖς παισίν· ἆθλα γὰρ ἡμῖν οἱ πατέρες ἔθεσαν ῥ α ψ ῳ δ ί α ς. πολλῶν μὲν οὖν δὴ καὶ πολλὰ ἐλέχθη ποιητῶν ποιήματα, ἅτε δὴ νέα κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν χρόνον ὄντα τὰ Σόλωνος πολλοὶ τῶν παίδων ᾔσαμεν.* His verbis quantumvis varios poetas significari fingamus (neque enim praeter Solonem quisquam nominatur), tamen puero- 19
rum illa coram patribus declamitatio, quam experiundi et explorandi caussa institutam dixeris, usum ludorum publicorum non potest demonstrare.

---

*) Hoc modo rem subobscuram satis expedire mihi videor. Et certe de ipso rhapsodiae vocabulo nunquam concessero quae disputavit Hoffmannus in Seebodii Archiv f. Philog. 1830. Oct. p. 46. [Welck. de cyclo p. 363.]

Unum igitur hoc in isto loco animadvertimus, ῥαψῳδεῖν nullo pacto esse μελῳδεῖν, sed dici rhapsodiam ita temperatam, ut in eam et simplex λέγειν et ᾄδειν cadat. Neque vero rhapsodiae vocabulum usquam ita usurpatum reperi, ut tanquam commune etiam verum cantum modosque citharoedorum, auloedorum, aliorumque simul comprehenderet. A quibus generibus si quis etiam nunc rhapsodiam accurate discretam videre cupit, inspiciat Athen. XII. 538. E. Plut. Alex. 4. extr. et Inscriptt. ap. Böckh. Oecon. Athen. II. 357 sqq. — Qua re ac genere disjuncta fuerunt, ea num saepe aut interdum saltem eorundem hominum industria complexa fuerit, nunc nihil quaerere attinet. Sed eos, qui rhapsodiam profiterentur, in ludis sollemnibus nihil fere quidquam nisi epica, et plerumque Homerica, pronunciasse, aliorum poetarum carmina privato magis quaestu tractasse, ex multis indiciis colligimus. Nam Ionem quidem rhapsodum Plato tantum idcirco uni addictum Homero finxit, quo significantius ἐνθουσιάζοντα describeret, quum Socrates eodem in dialogo 530 B. rhapsodorum operam non in Homeri tantummodo sed etiam in multorum aliorum poetarum carminibus versari profiteatur, et alio loco 531 A. praeter Homerum et Hesiodum Archilochum quoque commemoret. Verumtamen, quamvis consentaneum sit, eosdem, qui Homerum etiam extra locos actusque sollemnes quotidianis studiis tractabant *), privatâ hâc operâ alios saepe poetas nullo discrimine usurpasse: agonum tamen ratio eam varietatem non admisit. Quorum quotquot rhapsodiae locum fecisse testari possumus, epica in cunctis pronunciata reperimus; neque non praeter Platonis illa, quae supra posuimus, testimonia etiam glossographi omnes rhapsodos ὑποκριτὰς ἐπῶν (Tim. Lex.) aut eos interpretantur, οἳ τὰ Ὁμήρου ἔπη ἐν τοῖς θεάτροις ἀπαγγέλλουσι. Quae quum ita sint, illis, quae Athenaeus XIV. 620 C. per saturam refert, tantum certe non tribuemus, ut rhapsodos antiquiorum poetarum carmina ex quovis genere pronunciasse credamus. Verba ejus haec sunt: Κλέαρχος δ' ἐν τῷ προτέρῳ περὶ γρίφων "Τὰ Ἀρχιλόχου (φησὶν) ὁ Σιμωνίδης ὁ Ζακύνθιος ἐν τοῖς θεάτροις ἐπὶ δίφρου καθήμενος ἐῤῥαψῴδει." Λυσανίας δ' ἐν τῷ πρώτῳ περὶ ἰαμβοποιῶν Μνασίωνα τὸν ῥαψῳδὸν λέγει ἐν ταῖς δείξεσι τῶν Σιμωνίδου τινὰς ἰάμβων ὑποκρίνεσθαι. τοὺς δ' Ἐμπεδοκλέους Καθαρμοὺς

*) V. praeter Ionem Platonis Xenoph. Symp. III, 6.

ἔπη etiam melica carmina indicant imprimis iambos.

ἐῤῥαψῴδησεν Κλεομένης ὁ ῥαψῳδός, ὥς φησι Δικαίαρχος ἐν τῷ Ὀλυμπικῷ. Haec igitur exempla, ab Aristotelis discipulis prodita memoriae, non usum vulgarem sed singulorum ausus minus sollemnes continere, plures ob caussas statuendum videtur. Nam praeterquam quod isti, recentioris aetatis auctores ipsi, testari de iis videntur, quos ipsorum aetas vidit, etiam illud, quod nominatim singulos citant, rei parum tritae indicium habet; etiamsi nomina ex agonum monumentis sublecta sumas. Praeterea alterum non negligimus: praeter carmen lustrale Empedoclis, quod et longum et hexametris scriptum erat, jambographos esse, quos a rhapsodis usurpatos narrent. Jambis enim sine dubio declamationis tenor, propior ille sermoni, magis convenit quam multis aliis metris. Et Archilochi jambos ille, qui primus citatur, qui in sella sedens declamitavit, certe non actitavit, sed sedatiore reddidit modo. Atque de his hactenus. Aliud exemplum insignius rhapsodi 21
illi praebent, quos Dionysius tyrannus ad Olympia misit Ol. XCVIII. Diod. XIV, 109. XV, 7. Hi quid carminis et quo modo pronunciaverint, ambigat aliquis. Si quaeris, quo in genere poesios poeta tyrannus invitis Musis elaboraverit, tragoedias et paeanas composuisse fertur, de quibus plurima congessit Meinekius ad Euphor. p. 163. Verum quum ipsa *ἡ εὐφωνία τῶν ὑποκριτῶν*, qui iidem *ῥαψῳδοὶ* appellantur, auditores paullum morata esse dicatur, ne carmina pessima statim exploderent, et altero l. Dionysius misisse perhibeatur *τοὺς εὐφωνοτάτους τῶν ὑποκριτῶν διαθησομένους ἐν τοῖς ὄχλοις μετ᾽ ᾠδῆς τὰ ποιήματα;* de tragoediis, quas Atticorum exemplo appellamus, certe nihil suspicabimur; at quod poemata non actione sed vocis suavitate commendata dicuntur, et pronunciata cum cantu, id ad rhapsodiam referemus, quae veri cantus fuerit similior. Et denique sufficit hoc unum, quod Dionysius melicus non fuit, h. e. musicam non callebat neque modos carminibus subjecit. Sed redeamus in viam. Propemodum enim supervacaneum erat, curiosius quaerere, ecquis rhapsodus ab instituto sollemni ad alia genera declinaverit; si modo illud convenit, epica ipsa vix audita esse publice nisi per rhapsodiam, eamque et usu satis crebram fuisse, et eam habuisse commendationem apud Graecos aetatis quum literis tum elegantiae sensu cultissimae, ut, si quis ei infamiae notam inurere ausit, ab ipsis quibuscum judicare se putat, acerrimo dissidio discrepet. Id quod jam gra-

vissimorum auctorum suffragiis ita efficiam, ut simul ipsius rhapsodiae indolem virtutemque planius demonstrem.

§. 4. Plato l. supra l. de leg. II. 658. eum sermonem, in quo Atheniensis ex vario ludorum musicorum genere aliis alios placere ait, his verbis concludit: *ῥαψῳδὸν δὲ καλῶς Ἰλιάδα καὶ Ὀδύσσειαν ἤ τι τῶν Ἡσιοδείων διατι-*
22 *θέντα τάχ' ἂν ἡμεῖς οἱ γέροντες ἥδιστα ἀκούσαντες νικᾶν ἂν φαῖμεν πάμπολυ.* Hoc posito seniorum eorumque intelligentiorum judicio deinceps desinit in hanc sententiam, praestantissimam sine dubio eam esse musam, quae eruditissimis placuerit arbitris. In qua disputatione multa sunt, quae nos convertere debeant, quippe ad praestandum in quod promisimus gravissima. Primum enim non ipsa per sese, sed ex publica, quam in ludis praeferunt, specie poesis genera existimantur. Ita autem quum rhapsodia epicorum carminum cum fabulis scenicis ab histrionibus exhibendis committatur, illa vincit apud moderatiores. Assequitur vero rhapsodus illam comprobationem eo, quod *καλῶς διατιθέναι* dicitur. Quales si viderat Plato, multum dissimiles fuerint necesse est Ioni illi, qui (p. 535), vehementer commotus ipse, partium lacrymosarum pronunciatione affectus audientibus vehementissimos ciere fingitur; id quod sine imitatione histrionali, vel certe declamatione importuna, fieri sane non potuit. Atqui non vulgo tam actuosos fuisse rhapsodos, sed istum tantummodo ultra verum esse exaggeratum, quo enthusiasmi levitas elucesceret, ex ipso discere licet Platone, qui de rep. III. 395 A. negat cadere in humanam facultatem, ut idem rhapsodus, idem histrio sit bonus; quod qui statuit, insigni eos discrimine distare senserit necesse est. Sed ut ista Plato requisiverit magis quam ad exempla disputaverit: habemus testem praesentissimum Aristotelem, qui eo ipso loco, quo quidam ad confundendos rhapsodos et histriones abusi sunt, rhapsodiam, quae epicorum propria sit, ab actione histrionali plurimum discrepuisse utique confirmat. Legitur is poetices capite extremo. Contendit ibi Ar. tragoediam cum epopoeia, utra utri praestet. Ac posse quidem ait aliquem
23 epopoeiae primas deferre tali fere utentem argumentatione: Praestantiorem sine dubio esse eam poesin, quae spectatoribus elegantioribus probari velit, quaeque nihil operosa ultro sentientibus satisfaciat, neque opus habeat, spectatoribus lentis omnia gestu motuque in sensus ingerere; eam autem

modestiam in epopoeiam cadere; hanc igitur praestantiorem esse tragoedia, quae operosa atque omnia imitando putida sit. Hanc argumentationem, quam meis verbis paullo explicatiorem dedi, deinde ita refutat: primum non poeticae artis istam esse reprehensionem sed histrionicae; *ἐπεί ἐστι περιεργάζεσθαι τοῖς σημείοις καὶ ῥαψῳδοῦντα, ὅπερ ἐποίει Σωσίστρατος· καὶ διᾴδοντα, ὅπερ ἐποίει Μνασίθεος ὁ Ὀπούντιος.* Cumulate huic loco insunt, quae in rem nostram faciant; ut plurima solus praestiturus esset, etiamsi cetera testimonia non accederent. Primum enim illud nos convertit, quod in hac quoque disputatione poesis genera ex publica pronunciatione judicantur. Quodsi Aristoteles in sequentibus lectione potius cognosci dicit, qualis utraque sit, tamen eam judicationem, quam induxit, ex vulgari opinione ac sermone ascivit, ut plurima in isto libello ad corrigenda aequalium judicia disputat. Tamesti non dissimulandum est, posse Aristotelis istam disputationem ad Platonis illum locum respicere videri. Quod qui sumpserit, non minus tamen agnoscet, Aristotelem quoque ita omnia disputare, ut et publicos usus poematum spectet, et rhapsodiam disjungat ab actione histrionali, quae sola habeat *κινήσεις* et *σχήματα.* Nam id ipsum secundo nos loco convertit: distinguuntur accurate tria illa genera, rhapsodia, cantus verus et actio histrionalis. Rhapsodi ab alteris utrisque differunt; ab iis qui cantu contendunt *) usu vocis, qui in cantum qui rite 24
appellari possit non cedit, ab histrionibus pronunciationis temperamento, ut qui declamitent carmina voce canora, non agant, atque abstineant motu (*οἳ οὐδὲν δέονται σχημάτων*). Neque vero Aristoteles ulla cum probabilitate istam argumentationem fingere potuit, nisi rhapsodiae modus legitimus et vero usitatissimus vocis actionisque moderatione a gestu motuque histrionali ipso genere distaret. Quodsi unus et alter e rhapsodis *περιεργάζεσθαι τοῖς σημείοις* (i. e. vocis significatione) reperiebatur; id ipsum singulorum magis licentia ac vitio fiebat, qui modum generis et artis consuetudinemque peritiorum artificum suopte exemplo excedebant. **) Manifestum autem denique

*) V. Hermann. ad Vig. not. 379. et Wyttenb. ad Plut. Mor. p. 473.

**) Etiam histriones alios vehementiores, moderatiores alios fuisse, quum res ipsa docet tum de sua quidem aetate disertissime demonstrat Plutarchus Sympos. I, 1.

est, rhapsodiam a gestu motuque immunem cogitari; id quod eam vim habet, ut, quod cui in mentem veniat, Aristotelem de iis tantummodo loqui quae in ipsa tragoedia conjuncta reperiantur, de declamatione, cantu et actione, ne id quidem stare possit; neque enim eo modo potuit declamationem histrionum a gestu motuque separatam informare. Nimirum tribus illis generibus, epico, melico et dramatico, quamvis diversa sint, commune tamen est quiddam, maximeque rhapsodiae et actioni histrionali. Sicuti enim omnes illi artifices, si eorum ad spectatores eosdemque judices rationem quaerimus, sese exhibent quasi et conspici volunt (*ἐπιδείκνυνται*) et in laudis contentione ac discrimine versantur (*ἀγωνίζονται*), de quo supra disputatum est, ita, si ipsam eorum operam spectamus, in omnes cadit aut cadere potest *διάθεσις* quaedam et *ὑπόκρισις*, (actionem vel pronunciationem Romani interpretantur) quae ad oratores quoque pertinens parit illud *ἀγωνιστικὸν*, de quo me amplius dicturum esse promisi. Nobis *διάθεσις* **Darstellung** *) *ὑπόκρισις*, **Vortrag**, *τὸ ἀγωνιστικὸν*, **was Effect macht**, quod ad sentiendum efficax est. Quanquam rectius etiam m o t o r i u m appellaveris. Nam Aristoteles Problem. XIX, 15. de modis musicis disserens *τὸ ἀγωνιστικὸν* in iis generibus versari docet, quae sint *μιμητικὰ, πολυειδῆ, ἀεὶ ἕτερα γινόμενα*. Quare in choricis non reperiatur (*πολλὲς ἐν ἀγωνιστικῶς ᾄδειν, χαλεπόν*), sed in illis quae *ἀπὸ τῆς σκηνῆς. ὁ μὲν γὰρ ὑποκριτὴς ἀγωνιστής· ὁ δὲ χορὸς ἧττον μιμεῖται.* Quod h. l. *τὸ ἀγωνιστικὸν* dicitur, idem alibi *τὸ ὑποκριτικὸν*, quum is qui pronunciat spectatur: *ἀνάγκη γὰρ ὑποκρίνεσθαι καὶ μὴ ὡς ἓν λέγοντα τῷ αὐτῷ ἤθει καὶ τόνῳ λέγειν*, ut ait Aristot. Rh. III, 12, 4. Atqui tenendum est, communem illam hypocrisin in sola vocis distinctione cerni. Cujus rei caussas jam accuratius persequamur. Nam primum in ipsis verbis *διάθεσις* est quaedam, ipsumque dicendi genus *σημεῖα* et *ἀγωνιστικὸν* quiddam habere potest. Hoc sectantur et expetunt ii, quibus publica, quae memoriter, fit, pronunciatio et laus in agonibus cordi est. Aristot. Rhet. III, 12, 2. *Ἔστι*

---

*) Plut. Sympos. VII, 8. 1. Id. de audit. 8 med. *μήτ αὐτὴν τὴν ὑπόθεσιν τȣ̃ λόγȣ καὶ προαίρεσιν, ἀλλὰ μηδὲ λέξιν ἢ διάθεσιν τῶν λεγομένων.* Plat. Phaedr. 236 A. *οὐ τὴν εὕρεσιν ἀλλὰ τὴν διάθεσιν ἐπαινετέοι.*

*δὲ λέξις γραφικὴ μὲν ἡ ἀκριβεστάτη· ἀγωνιστικὴ δὲ ἡ ὑποκριτικωτάτη. ταύ-
της δὲ δύο εἴδη. ἡ μὲν γὰρ ἠθική· ἡ δὲ παθητική. διὸ καὶ οἱ ὑποκριταὶ
τὰ τοιαῦτα τῶν δραμάτων διώκȣσι, καὶ οἱ ποιηταὶ τȣ̀ς τοιȣ́τȣς. βαστάζονται δὲ οἱ
ἀναγνωστικοί· οἷον Χαιρήμων. ἀκριβὴς γὰρ ὥσπερ λογογράφος· καὶ Λυκίμνιος τῶν
διθυραμβοποιῶν. καὶ παραβαλλόμενοι οἱ μὲν τῶν γραφικῶν ἐν τοῖς ἀγῶσι στενοὶ
φαίνονται, οἱ δὲ τῶν ῥητόρων εὖ λεχθέντες ἰδιωτικοὶ ἐν ταῖς χερσίν. αἴτιον δὲ, ὅτι ἐν
τῷ ἀγῶνι ἁρμόττει. διὸ καὶ τὰ ὑποκριτικὰ, ἀφῃρημένης τῆς ὑποκρίσεως, οὐ ποιȣ͂ντα
τὸ αὑτῶν ἔργον, φαίνεται εὐήθη· οἷον τὰ ἀσύνδετα καὶ τὸ πολλάκις τὸ αὐτὸ εἰπεῖν ἐν
τῇ γραφικῇ ὀρθῶς ἀποδοκιμάζεται· ἐν δὲ ἀγωνιστικῇ καὶ οἱ ῥήτορες χρῶνται·
ἔστι γὰρ ὑποκριτικά.* Discrimen, quod haec disputatio statuit inter eos,
qui ad recitandum, et eos qui ad agendum apti sint, magnum ad omnem 26
literarum et maxime poesis Graecae historiam existimandam momentum habet. Pertinebat illud quum ad orationum genera, quorum alterum epidicticum orationes ad recitandum scriptas habebat, alterum actuosas et agonisticas (cfr. Arist. l. l. §. 5.); tum, ut videmus, ad poetas; ut vel scenici quidam ad recitandum quam ad agendum aptiores haberentur, ut Philemo comicus cum Menandro collatus a Demetr. de eloquut. §. 197. *) Ergo igitur illa maxime aetate, quae sophistarum rhetorumque disciplinam experiebatur, exorti sunt poetae carminum, quae verborum praecipue comprehensione implicatiore ad declamandum et agendum parum expedita viderentur. Itaque ipsi sua poemata non ut Xenophanes (Diog. IX, 18) declamitasse, sed convocatis auditoribus recitasse de scripto reperiuntur, ut Antimachus, Antagoras, aliique de quibus Eratosth. ap. Diog. VII, 5. Neque dubium est, quin praeter veterem auctoritatem et commendationem, etiam dicendi genus solutius rhapsodos commoverit, ut antiquioribus potius poetis, et prae ceteris Homero, operam addicerent. Haec igitur illa est *διάθεσις*, quam in ipsa eloquutione versari diximus. Sed accedit altera (v. Ast. ad Plat. de leg. p. 106.), quae pronunciantis est, atque apto vocis usu

---

*) [Bernhardy in Hist. liter. Graec. I. p. 48. Aristotelis locum parum perspexit; quasi *ἀναγνωστικοὶ* dicerentur, qui lectitati essent domesticis studiis; quum ille eos potius dixisset, qui publice de scripto recitarentur.]

verba numerosque temperat. *) Quae quatenus rhapsodis communis quaedam fuerit cum histrionibus, quatenus diversa, jam denique aliis testimoniis adhibitis quantum fieri poterit definiamus.

§. 5. Nos nunc omnem dictionis artem in tres fere formas et quasi gradus dispescimus ita, ut a recitatione, qualem Tieckii nostri et Holteji scitissime usurpant, primum declamationem, deinde actionem histrionalem
27 distinguamus. Eadem genera Graecorum usus discriminabat. Nam etiam recitationis ea erat cura, ut, si quis ipse vocis suavitate destituebatur, librum alteri alicui recitandum daret (Diog. Laert. VI, 100 extr.). Sed, ut saepius vidimus, declamationis nomen non prorsus congruit cum rhapsodia Graecorum, si quidem haec versuum est tantummodo pronunciatio. Quamobrem aut omnis nunc disputatio in versuum pronunciatione continenda est, ut rhapsodia declamationem rectius aequet, aut tria genera Graecorum ita describenda sunt, ut primo loco ponatur *ἀνάγνωσις*, recitatio de scripto, altero *ὑπόκρισις*, pronunciatio, quae duplex, aut *λόγων*, quae oratorum est, aut *ἐπῶν*, quae rhapsodorum, tertio denique *ὑπόκρισις δραμάτων*, pronunciatio et actio histrionalis. His ita descriptis audiamus Aristotelem, qui Rhet. III, 1. hypocrisin oratorum rationibus commendaturus in hunc modum disputat. Primum §. 3. rationem affert, qui factum sit, ut nemodum quisquam illam accurate pertractarit. *καὶ γὰρ εἰς τὴν Τραγικὴν καὶ Ῥαψῳδίαν ὀψὲ παρῆλθεν· ὑπεκρίνοντο γὰρ αὐτοὶ τραγῳδίας οἱ ποιηταὶ τὸ πρῶτον. δῆλον οὖν, ὅτι καὶ περὶ τὴν ῥητορικήν ἐστι τὸ τοιοῦτον, ὥσπερ καὶ περὶ τὴν ποιητικήν· ὅπερ ἕτεροί τινες ἐπραγματεύθησαν καὶ Γλαύκων ὁ Τήϊος.* Deinde §. 8. sic testatur: *Ἤρξαντο μὲν οὖν κινῆσαι τὸν πρῶτον, ὥσπερ πέφυκεν, οἱ ποιηταί· τὰ γὰρ ὀνόματα μιμήματά ἐστιν· ὑπῆρξε δὲ καὶ ἡ φωνὴ πάντων μιμητικώτατον τῶν μορίων ἡμῖν· διὸ καὶ αἱ τέχναι συνέστησαν, ἥ τε Ῥαψῳδία, καὶ ἡ Ὑποκριτικὴ, καὶ ἄλλαι γε.* Haec ille, quae ex totius capitis disputatione sic enarranda arbitror. Primum bene animadvertendum est, omnem disputationem praeceptionemque Aristoteli illo l. esse de solo vocis usu (§. 4.), neque igitur communi illo *ὑποκρίσεως* vocabulo

---

*) [Ulrici Hist. poes. Gr. I. 248. not. 121. mirifice fallitur, quum *διάθεσιν* nectendarum partium artificium quoddam interpretatur.]

quidquam nunc dici, quod ad gestum motumque histrionalem pertineat. 28
Imo intelligimus jam certius, illa σημεῖα *) rhapsodi peccantis (de poet. 27, 6) non gestus esse sed vocis; motum autem gestumque omnino a rhapsodo alienum solis proprium dari histrionibus (v. de poet. ib. §. 7.). Discretis ita rhapsodi et histrionis partibus quum nihil commune habere reperiantur nisi pronunciandi curam et sollertiam, pronunciationis quoque discrimen quoddam ex genere poematum nascitur, quae utrique pronunciant. Nam Aristoteles verbis supra positis hoc dicit: Pronunciandi artem sero excultam ac perfectam esse. Nam facultatem quidem ab ipsa natura datam et in vocis humanae indole sitam esse, sed vel pronunciationem tragicam et epicam sero in artis formam perductam esse. Dum enim poetae, inquit, ipsi tragoedias suas exhibebant (intelligimus simul et ipsi histriones docebant ac pari modo epici sua ipsi pronunciabant), naturam suosque sensus sequebantur. Postquam autem alii illorum carmina pronuncianda susceperunt, tum et epicae et scenicae pronunciationis (ῥαψῳδίας καὶ ὑποκρίσεως) **) quaedam disciplina excoli coepta est; quam quum alii tum Glauco Tejus libris complexi sunt. Haec ille. Nos non dubitabimus utramque formam pronunciationis, et tragicam et epicam, declamationis nomine complecti, quo utramque a cantu, qui secundum certos modos profertur, discernamus. Sed quum utriusque διάθεσις et verba verborumque complexiones, et numeros exigeret, tamen rhapsodiam non potuisse non multum differre a pronunciatione tragica, quivis intelligit ***). In quo non negligimus, omnem versuum 29

*) V. Ernesti Lex. technol. gr. rhet. p. 307.

**) Cfr. Alcidamas de soph. p. 83 T. VIII. Rsk.

***) Non dissimulabo, quae totius loci sit ratio singularis. Nam omnis istius, quam persequutus sum, interpretationis fides unius verbuli auctoritate sustentatur. Nam si ista vocula (καὶ), quae verba Τραγικὴν et Ῥαψῳδίαν copulando disjungit, bonorum librorum jussu delenda esset, in priore loco una sola diceretur pronunciatio, declamitatio tragica, in altero declamatio versuum et actio continuarentur. Potest ex ipso illo loco ejus lectionis probabilitas commendari. Attamen, etiamsi rhapsodia tragica dicta esset, tamen eam interpretaremur, quae a pronunciatione histrionali differret. Denique libri Bekk. nihil variant.

pronunciationem apud veteres cantui similiorem fuisse, quam nostra nunc esse soleat declamatio. Neque enim aliter dicendi magistri oratorem a cantu histrionali revocassent *), neque Strabo ea disputasset, quae leguntur I. p. 28. *Καὶ τὸ ἀείδειν δὲ ἀντὶ τοῦ φράζειν τιθέμενον πρὸς τοῖς πάλαι, ταὐτὸ τοῦτο ἐκμαρτυρεῖ, διότι πηγὴ καὶ ἀρχὴ φράσεως κατεσκευασμένης καὶ ῥητορικῆς ὑπῆρξεν ἡ ποιητική. Αὕτη γὰρ προσεχρήσατο τῷ μέλει κατὰ τὰς ἐπιδείξεις· τοῦτο δέ ἦν ᾠδὴ λόγος μεμελισμένος· ἀφ' οὗ δὴ ῥαψῳδίαν τ' ἔλεγον καὶ τραγῳδίαν καὶ κωμῳδίαν. Ὥστ' ἐπειδὴ τὸ φράζειν πρώτιστα ἐπὶ τῆς ποιητικῆς ἐλέγετο φράσεως, αὕτη δὲ μετ' ᾠδῆς, τὸ ἀείδειν αὐτοῖς τὸ αὐτὸ τῷ φράζειν ὑπῆρξε παρ' ἐκείνοις.*

§. 6. Si quid recte usi sumus testimoniis disertissimis, multa, quae de *rhapsodia* nuper a *Bernhardo Thierschio* et *Kreusero* leviuscule conjecta sunt, in errore ac vitio esse arguuntur. Et Bernh. quidem Thierschius in libelli de aetate et patria Homeri edit. II. p. 102 sqq. sic profitetur: „Rhapsodorum ars et opera, ut ego arbitror, in eo cernebatur, ut carmina Homeri dramatice exhiberent, i. e. ut personas induerent eorum, quos Homerus loquentes induxerat, et per eorum vices ipsi suam quisque partem pronunciarent.“ Nulla est hujus opinionis fides; ne probabilitas quidem ulla. Abutitur Th. verbis *ἀγωνίζεσθαι*, *διατιθέναι*, *ἐκ διαδοχῆς*, parum perspectis; abutitur idem testimoniis, quae aut de eo sunt rhapsodorum usu, quo alter alterum excipiebat, aut alios explicatus habent. Denique ut primum aliquis Homeri carmina ipsa inspexerit simulque rem ad Thierschii opinionem quasi coram agitatam animo proponere voluerit, statim experietur, ne fingi quidem istum modum ullo pacto posse. Quodsi quispiam institutum ab illo fictum alio modo et probabiliore informet: tamen neque ejus fides erit, et parum intelligetur, qui Odyssea potissimum istum in modum ornari potuerit (Longin. de sublim. IX, 13). — Pari levitate illud inventum est, quod Kreuserus finxit, rhapsodos nomen a prooemiis accepisse, quae ex versibus Homericis undique arreptis consuta in ludis sollemnibus decantaverint. Nempe eas parodias potius veteres dixissent, si quid sentio. Sed istius inventi novitas ne quem fallat, quum multa afferre

---

*) V. Cic. de Orat. I, 59. aliosque ll. ap. Langium Vindic. trag. Rom. p. 69.

possim, unum ponam. Plato de leg. IV. 722 extr. de prooemiis haec testatur: *λόγων μὲν πάντων καὶ ὅσων φωνὴ κεκοινώνηκε, προοίμιά τ' ἔστι καὶ σχεδὸν οἷόν τινες ἀνακινήσεις, ἔχουσαί τινα ἔντεχνον ἐπιχείρησιν, χρήσιμον πρὸς τὸ μέλλον περαίνεσθαι, καὶ δή που κιθαρῳδικῆς ᾠδῆς λεγομένων νόμων καὶ πάσης μούσης προοίμια θαυμαστῶς ἐσπουδασμένα πρόκειται.* His verbis Plato omnem musam prooemiis uti testatur, sed prae aliis generibus effert citharoedos. De his Cic. de Orat. II, 80. Quinctil. IV, 1, 2. non judicant quidquam sed narrant, eos, antequam legitimum certamen inirent, emerendi favoris gratia prooemia cecinisse, quae cum sequentibus non cohaererent. Eadem melicorum, qui dithyrambos canebant, consuetudo fuit (Schol. Aristoph. ad Pac. 826.), ut de Arione Plutarch. conviv. VII. sap. T. VIII. 31
44. Hutt. *καί τινα θεῶν πελαγίων ἀνάκλησιν προανακρουσάμενος ᾄδοι τὸν νόμον.* Denique Aristoteles Rhet. III., 14, 5. universam prooemiorum rationem ita et complecitur et dispescit, ut orationibus judicialibus prooemia convenire doceat, qualia epicorum sint, i. e. apta et congrua, epidicticis vero aliena qualia dithyramborum. Quid igitur censebimus? si veteres una et consentiente voce citharoedis et dithyramborum poetis prooemia istiusmodi incongrua assignant: num ulla est probabilitas, non illos, quos prooemiis alienis usos esse videmus, sed epicorum carminum cantores a prooemiis nomen invenisse? Accedit autem, quod ipsam formam totumque opificium prooemiorum ex nihilo conflavit Kreuserus. Nam ne tenuissimum quidem indicium est, urbium incolarumque gloriam in prooemiis esse celebratam; imo vero diis consecrata fuerunt omnia sive iis, qui ludis praesidebant, sive aliis. Neque Kreuserus alia vidit praeter Homerica, de quibus quid mihi videatur, in Melet. fasc. I. explicitum est.

§. 7. Redeamus in viam. Expositum est supra non tam de rhapsodis, quam de rhapsodiae genere et utilitate, non de hominibus eorumque condicione, sed de artis, quam tractarunt, natura et apud spectatores et judices commendatione. Iam de ipsis rhapsodis aetatis Atticae dicendum videtur, de quibus propter Ionem Platonis illosque Xenophontis locos non modo Kreuserus, sed ipse Wolfius iniquius statuit quam par fuit. Sed antequam serio id quod res est demonstremus, etiam illa perstringamus exempla, si qui scriptores verbum *ῥαψῳδεῖν* ejusque familiam per metapho-

ram aliquam in opprobrium vertunt. Scilicet quicunque ῥαψῳδεῖ, *versus pronunciat*, is non breve dictum, sed, praesertim si carmen ex epico est
32 genere, longum quiddam conficit; idem, quoniam, quae quis didicit, multis saepe exhibere solet, saepius eadem recinere reperitur. Porro qui declamitabant versus apud Graecos poetarum administri, ii non quod ipsi invenissent, sed aliena proferebant, eaque sola, neque, postquam pronunciatione defuncti erant, quidquam curabant, num auditores audita satis tenerent inque usum verterent; denique nihil exhibebant nisi verba. Videmus jam, opinor, res usu tritissima quam facile quamque variâ transferendi licentiâ notandae levitatis esse potuerit. Primum igitur, ut inter proverbia apud Apostol. I., 41. est ᾄδεις ἔχων, μάτην λέγων ληρεῖς, ita quae multorum sermone contemptim cantilenae, Horatio naeniae, Francogallis *tirades* dicuntur, eae rhapsodiae ap. Plut. de garrul. c. 22. qui garrulum aliorum sermoni obstrepere εἰς δὲ τὰς ἑώλους — ῥαψῳδίας εἰσελαύνειν τὸν λόγον scribit. Aliam notationem ipsa res habuit, quum Isocrates l. supra l. sophistas nihil de suo sed Homeri Hesiodique locos protulisse contumeliose memoravit. Quorum similem perstrinxisse videtur Eupolis ap. Schol. Arist. ad. Av. 42. Paullum modo distat, si quando ii, quos doctrinam studiosius imbibere oportebat, eam parum intellectam tradere arguuntur καθάπερ οἱ ὑποκρινόμενοι Aristot. Eth. Eudem. VI, 3. Quinctil. XII, 3, r. Ut vero his similitudo, quam cum rhapsodis habent, in crimen inertiae exprobratur, ita saepius, ubi formulas et praecepta decantasse parum est, nisi disciplina atque institutio accuratior accesserit, doctrina levior verbo ῥαψῳδεῖν vel ἀποῤῥαψῳδεῖν describitur: Plato Phaedr. 277 E. Xenoph. Cyri disc. III, 3, 54. A qua levitatis nota sibi cavens Dionys. Hal. Antiqu. XI. p. 700. διὰ κενῆς, inquit, ῥαψῳδηκῶς ἔσομαι. Postremo declamitantium speciem ignominiosam induunt
33 ii, qui verba reddunt, ubi facta requiruntur. Itaque Demosthenes duobus locis de symmor. p. 181, 14. in Aristogit. init. p. 770, 14. ad legationum vanitatem explodendam eodem verbo abutitur. Qui sine metaphora idem in Olynth. I. ὅπως μὴ λόγους ἐροῦσιν μόνον —, ἀλλὰ καὶ ἔργον τι δεικνύειν ἕξουσιν. Demosthenis locos interpretantur glossographi: ἁπλῶς λαλεῖν καὶ ἀπαγγεῖλαι, χωρὶς ἔργου τινός. Ab his metaphorae exemplis nonnihil discrepat Sophoclis illud de sphinge, ῥαψῳδὸς κύων (Ol. R. 391), quo carmen saevum identidem

edidisse dicitur. *) Summotis ita iis quae nihil ad rhapsodos, proximum est, ut ipsos aeque recteque existimemus.

§. 8. Rhapsodorum neque nomen probrosum fuisse et operam publicam tantum apud elegantes habuisse gratiae, quantum et usus ludorum, et carminum, quae pronunciabant, existimatio omnibus conciliabat, qui poetarum administri numerabantur, id nisi jam docuimus, facile praestare posse videmur. Si in universum quaeritur, quo loco artifices scenici horumque consortes in civitate Athenarum fuerint, aetatum quadam discriminatione utendum videtur. Ita enim facere jubet Aristotelis auctoritas, qui Politic. VIII, 6. p. 270. Probl. XIX, 15. **) circa bella Persica etiam libero genere natos multos non solum inter choreutas in scenam prodiisse, sed variis artibus spectatorum studia publice oblectasse testatur; idem vero in subsequente disputatione satis declarat, operam ejusmodi publicam sua aetate levis notae maculam non effugere. Quanquam enim operam mercede locare vel praestare quam per se et excusatum et artium honestissimarum hominibus commune fuerit, uberrima *Welckeri* disputatio, quae de Prodico est, abunde probat; tamen qui vitam omnino in operis scenicis degebat, aliquid de dignitate civili deminutum sibi sentiebat. Nihilominus tamen liberos 34
multos eam condicionem amplexos esse scimus, neque omnino dubium est, quin Graecorum mos et opinio actores fabularum longe honestiore loco habuerit quam Romanorum. De qua re si quis doceri velit, adeat libellum *Grysarii* qui de Graecorum est tragoedia, qualis circa tempora Demosth. fuit. Colon. MDCCCXXX. p. 34. sqq.

Iam si rhapsodorum condicionem civilem eandem fuisse dixero, id quidem vel uno Xenophontis testimonio satis constare videbitur, si quidem Socrati (Comment. IV, 2, 11.) ne in mentem quidem venire potuit, quaerere ex Euthydemo, num rhapsodi vitam amplecti vellet, nisi etiam liberaliter nati et educati id genus vitae interdum sequuti essent. Verum enim vero idem Xenophontis locus, alterque qui Sympos. 3, 6, legitur, denique

---

*) [Welck. de cyclo p. 363.]

**) Theophr. ap. Athen. X. 424 E.

Ion Platonicus uno quasi ore non testari sed clamare dicuntur, nihil fuisse insulsius ineptiusque, quam illos rhapsodos; ut, si civili dignatione actoribus scenicis pares reperiantur, certe ingenii extremi et artis male sedulae ineptiis longe etiam infra illos fuisse putandi sint. Hanc criminationem a Kreusero maxime jactatam (quanquam is nescio quo instinctu etiam artifices scenicos multum ultra fidem dehonestavit) ut ad id quod verum est redigam, singulari quadam testimoniorum rationumque pensitatione opus esse video. Ordiar ab eo, quod utique concedendum est. Videmus vixisse Socratis aetate Athenis nationem quandam declamatorum, qui praeter memoriam versibus refertam nihil admodum ingenio valerent, et vel quum maxime saperent nullam aliam laudem ne affectarent quidem nisi eam, quae in sollerti carminum pronunciatione sita est. Horum, ut
35 Graecia et maxime Athenienses poetarum et auditionis avidissimi erant, multiplex et magna fuit occupatio, quum non modo feriarum creberrimarum per occasiones, sed locis quotidianis Homeri aliorumque versus nunc declamitarent, nunc discere cupientibus praeirent; nunc etiam interpretamentis quibusdam ornarent. Sed in hoc ipso, quod nuper admodum sophistarum exemplo asciverant, ut interpretatione aliqua poetas augerent, ab iis qui in studiis versatiores erant rudes et impares esse deprehendebantur. Nam vocabulum *ἠλίθιος*, quo in utroque Xenophontis loco eorum inscitia notatur, ad ipsorum quae pronunciationis est artem nihil pertinere ex adjectis intelligitur; *τὰς ὑπονοίας* parum assequi dicuntur, et *τὰ μὲν ἔπη ἀκριβεῖν*, ipsi autem insipidi esse. Hic autem locus est, unde ad tuendam judicii aequitatem proficere et liceat et oporteat. Quippe utroque loco mentio rhapsodorum incidit inter eos, qui plus requirunt quam ut versus poetarum callide quis pronunciare didicerit. Neque alio jure Socrates Platonicus cum Ione contendit; quanquam illius dialogi quasi actio ad alios magis quam ad rhapsodos pertinet. Plato videlicet, qui ex vetere illo philosophiae et poesios dissidio etiam poetas verae intelligentiae fontes adiisse negat, longe indignius fert illos, qui solis poetarum vocibus instincti essent, intelligentiae laudem affectare. Ne quid ultra id quod res habet sapere sibi videantur, sed se ejus, quam profitentur, artis genere et terminis contineant, id Socratis instituto disputat. Neque igitur dubium est, quo

loco rhapsodi constituti fuerint. Iisdem caussis, quibus artifices scenici (v. Gell. XX, 14. et Grysar. p. 34.), rhapsodi quoque post exactam in studiis liberalibus adolescentiam non ad philosophos sophistasque, sed ad
vitam mercenariam perducti erant. Ita instructi et parati ad pronunciandi 36
sollertiam si noviciae aliquid sapientiae affectare volebant, prae doctioribus contemnebantur, sin suo se pede metientes acceptissimam rhapsodiae operam cum arte factitare satis habebant, elegantissimi cujusque laus nequaquam eos deficiebat. Audivimus supra Platonis et eorum, quos Aristoteles argumentantes induxit, judicia; neque lectitandi usus dudum percrebrescens de auditionum favore quidquam detrahebat ea aetate, quâ ipsa quoque pronunciandi ars praeceptis cum ratione traditis instruebatur; neque recte is, qui propter Ionem Platonicum rhapsodorum operam non placuisse censuit nisi plebi. Aristoteles Polit. VIII, 7, p. 272 squ. *ἐπεὶ ὁ θεατὴς*, inquit, *διττός, ὁ μὲν ἐλεύθερος καὶ πεπαιδευμένος, ὁ δὲ φορτικὸς ἐκ βαναύσων καὶ θητῶν καὶ ἄλλων τοιύτων συγκείμενος, ἀποδοτέον ἀγῶνας καὶ θεωρίας καὶ τοῖς τοιύτοις πρὸς ἀνάπαυσιν.* Quod de musica Ar., id si ad rhapsodiam transferimus, alteros illiberales rhapsodi ii oblectasse reperiuntur, qui Ionis similes essent; at fuerunt alii rectius tenentes rationem ejus artis, quae, si cum fabularum scenicarum actione comparatur, auditores qui ultro sentiant magis sibi requirit. Denique videmus, in eruditorum ore ac sermone saepius versatos esse rhapsodos eorumque in certaminibus eventus. In promptu sunt Aristoteli exempla rhapsodorum, qui in exprimenda orationis varietate nimii aut recti fuerint, meminitque idem Rhet. III, 11, 13. dicti, quod in Niceratum jecit Thrasymachus, quum eum a Pratye rhapsodiae in contentione victum superbientem tamen videret *). Neque igitur ulla caussa est, quin hoc
genus aeque honestum fuisse censeamus atque ceteros de scena et pulpito 37
artifices; quos omnes si Iophon in fabula satyrica communi sophistarum

*) Verba sunt: *ἡττημένον ὑπὸ Πράτυος ῥαψῳδοῦντα, κομῶντα δὲ καὶ αὐχμηρὸν ἔτι.* Propter *ἔτι* verbum *κομᾶν* interpretandum reor *superbire*, alterum vero *αὐχμηρὸν* in vitio esse suspicor, nisi reddendum: etiam quum moestus esset. Nam comparavit illum Thras. sine dubio cum Philocteta, qualem Theodectes fecerat. V. Arist. Eth. Nicom. VII, 7, 6. Promptum autem est, si quid mutandum, legere *αὐστηρόν.*

nomine complexus erat, ne hoc quidem ignominiae quidquam habebat. V. post Clem. Alex. Strom. I. p. 280. Sylb. Pind. Isthm. V, 36 (30) cum annot. Dissen. ap. Boeckh. et Schol. Aristoph. ad Nub. 330. Sed permirum etiam illud, quod Kreuserus Homeridas Chios eâ contumeliâ quam ipse demum rhapsodorum nomini conflavit, adductos putat, ut Homeridas se potius ferrent. Quem in eo acquiescere oportuerat, ut Homeridas non alios dici doceret quam ipsos plerumque rhapsodos, utpote qui vel illud vel Homeristarum nomen ab operis parte potiore nacti essent (v. Melet. I, p. 134). Admonet autem hic error alterius, qui latius patet, quod Kreuserus rhapsodorum et nomen et institutum universum circa Pisistrati tyrannidem artibus faustissimam in Attica natum putat. A quo eum, si tempora quaeris, Herodoti testimonium illud V, 67. de quo v. Melet. I. p. 154, si usum rhapsodiae Graece loquentibus communem, illa Heracliti vox revocare potuit; qui profecto non, ut Diogen. IX, 1, 2. auctor est, Homerum dignum dixisset, qui a ῥαβδούχοις *) ex *agonibus* ejiceretur, nisi audiri in ludis potius quam in manibus versari tum in Asia circaque vidisset Homeri carmina.

III. **)

Enarrantur loci, qui de rhapsodia Panathenaeorum exstant.

III In civitate Athenarum carmina Homeri duplici instituto insigniter colebantur. Neque enim solum in ludis discebantur a pueris, verum etiam in Panathenaeorum sollemnitate legitima eorum erat pronunciatio, ex veteri more utrumque. Testes utriusque instituti habemus Lycurgum et Isocratem,

---

*) Hi enim latent in verbo ῥαπίζεσθαι, non id, quod subesse voluit Göttlingius in Praef. ad Hesiod. p. XIII. ubi vir laudatiss. de etymo vocabuli rhapsodiae admodum probabiliter, de ceteris parum. De rhapduchorum castigationibus v. Herod. VIII, 59. c. interpp. Lucian. adv. indoct. g. T. VIII. Bip. Schubert. de Romanor. aedilib. p. 53 sq.

**) Edita est haec dissertatio in Indice schol. aestiv. a. DCCCXXXVII.

quorum ille in Leocr. c. 26. auditores commonet, majores eorum Homero tantum tribuisse, ὥστε νόμον ἔθεντο, καθ' ἑκάστην πενταετηρίδα τῶν Παναθηναίων μόνου τῶν ἄλλων ποιητῶν ῥαψῳδεῖσθαι τὰ ἔπη, Isocrates autem Panegyr. 26. similiter τοὺς προγόνους poesin Homeri ἔντιμον voluisse ait ἔν τε τοῖς τῆς μουσικῆς ἄθλοις καὶ τῇ παιδεύσει τῶν νεωτέρων. Quum certum auctorem institutorum neuter exhibeat, nisi de Solone aliunde fide accesserit, dubitare licebit an Panathenaica rhapsodia quidem a Pisistratidis potius instituta sit (Thucyd. VI, 54—56), mos vero ille pueros Homeri lectione imbuendi sponte IV
magis subortus fuerit magistris quam ex certa lege. Sed pergamus ad locos controversos, quorum quum uterque de Homero in Panathenaea recepto esse visus sit, auctorem rhapsodiae sollemnis alter habet Hipparchum, Pisistrati filium, alter, si quidem interpretatio constat, Solonem. De Hipparcho in dialogo cognomini Pseudoplatonis p. 228 B. haec leguntur: ὃς ἄλλα τε πολλὰ καὶ καλὰ ἔργα σοφίας ἀπεδείξατο, καὶ τὰ Ὁμήρου ἔπη πρῶτος ἐκόμισεν εἰς τὴν γῆν ταυτηνί, καὶ ἠνάγκασε τοὺς ῥαψῳδοὺς Παναθηναίοις ἐξ ὑπολήψεως ἐφεξῆς αὐτὰ διιέναι. Illud πρῶτος ἐκόμισεν per hyperbolen dici veteribus tritissimam omnes agnoscunt. Saepissime enim, si cujus opera in aliquo genere insignis fuit, hujus omnino princeps appellatur. Isocrates Busir. 11. pag. 375. Lug. de Pythagora: τήν τε ἄλλην φιλοσοφίαν πρῶτος εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐκόμισεν (ex Aegypto), καὶ περὶ τὰς θυσίας κ. τ. λ. — Ab hyperbole si discedas, cetera dialogi scriptor cum fide testari putandus est; ambigimus tantum, illud ἐξ ὑπολήψεως quale sit. Quod in Hipparchum hic, plane idem in Solonem transferre visus est Diogenes Laertius I, 57. his usus verbis: Τά τε Ὁμήρου ἐξ ὑποβολῆς γέγραφε ῥαψῳδεῖσθαι, οἷον ὅπου ὁ πρῶτος ἔληξεν, ἐκεῖθεν ἄρχεσθαι τὸν ἐχόμενον. μᾶλλον οὖν Σόλων Ὅμηρον ἐφώτισεν ἢ Πεισίστρατος, ὥς φησι Διευχίδας ἐν πέμπτῳ Μεγαρικῶν. ἦν δὲ μάλιστα τὰ ἔπη ταυτί· „Οἱ δ' ἄρ' Ἀθήνας εἶχον, καὶ τὰ ἑξῆς“ (Il. β, 546—556).

Hic igitur locus collatus cum priore nuper in multiplicem variorum doctorum virorum disceptationem venit. Ego quum primum Wolfii placita retractarem, in *Praeparatione indagandae per Odysseam interpolationis* p. 28 sqq. sic statueram: Locum Diogenis integrum videri certe non posse; neque enim dici, quid Pisistratus egisset, neque extrema illa ἦν δὲ μάλιστα rel. habere in antedictis, quocum congruerent. — Verba ἐξ ὑποβολῆς —

ῥαψῳδεῖσθαι, quum essent antiquioris auctoris, a Diogene male explicari; quum usus hoc potius postularet, ut subornatam aliquo modo rhapsodiam interpretaremur. Idem vero verbis *ἐξ ὑπολήψεως* declarari putabam. Denique animus mihi eo inclinabat, ut, quoniam auctorem utrumque de eodem instituto referre arbitrabar, summoto plane Solone ad Pisistratidas rem re-
V vocarem. Haec olim. Exortus mihi est adversarius *Boeckhius* in Ind. Lect. aestiv. a. 34. et C. Inscr. Vol. II. p. 675. Boeckhio *Hermannus* in Op. V. p. 300 sqq. et in Defensione dissertationis de *ὑποβολῇ* ed. a. 1835. Hujus usus argumentis mihi tantum non prorsus suffragatus est *Bernhardius* Hist. liter. gr. I. p. 227 et 231. Propria quadam ratione cum Boeckhio fecit *Welckerus* de cyclo p. 378. *Ulrici* denique Histor. poes. gr. I. p. 248. novo conatu alium rhapsodiae ipsius modum verbis *ἐξ ὑποβολῆς*, alium Hipparcheo illo *ἐξ ὑπολήψεως* declarari probatum ivit. Non opus est, ut horum disputationes omnes percenseam; sed quid loquendi usus vel suadeat vel cogat, id demonstrandum.

Ac primum illud *ἐξ ὑπολήψεως ἐφεξῆς διιέναι* nunc probe intelligo aliud quid significare atque *ἐξ ὑποβολῆς ῥαψῳδεῖν*, hoc si accurate ponatur. Erat autem illa *ὑπόληψις* rhapsodorum duplex et gemina, quum carminis continuandi, tum traditae a priore frondis. Carmen continuandum si spectamus, verbum *ὑπολαβεῖν* usu admodum frequenti ad sermonum vices relatum declarat *suscipere alterius sermonem* ita ut aliquid subjungas, quod ex antedictis aptum sit, eorumque vel complementum vel correctionem aliquam, vel impugnationem habeat. Differt autem nonnihil usus participii *ὑπολαβών* et verbi finiti. Hoc dativo junctum aequat nostrum *einwenden*, ut Plat. Protag. 320 C. Civit. X. 598 D. illud (*ὑπολαβών*) tritissimum in dialogis maxime, sicuti nostrum *einfallen*, omnem subnectendae orationis varietatem sequitur. Nam quum saepe addantur *εὐθύς*, *σπουδῇ*, alia, tamen interpellandi potestatem non habet nisi ex adjectis: *ἔτι λέγοντος αὐτοῦ ὑπολαβὼν εἶπε* Xen. Disc. C. V, 5, 35. et Dion. Hal. Antiqu. X, 45. Praeterea v. quale illud ap. Plut. sept. sap. conviv. 14. *ὡς οὖν ὁ Χερσίας ἀπεσιώπησεν, ὑπολαβὼν ὁ Κλεόδημος·* et ib. 15. *ὑπολαβὼν οὖν ἐγώ, τοῦ Κλεοδήμου διαλιπόντος· ἐκεῖνο δ᾽ οὐ λέγεις, εἶπον, ὅτι καὶ τὸν ὕπνον —.* Hoc verbi usu a multis saepe usurpato quominus substantivum eâdem significatione frequentaretur, prohi-

buisse videtur et ipsius notionis ratio, et erroris periculum, et vero omnis sermonis graeci conformatio. Sed in loco, quem nos quaerimus, primum illud manifestum est, praescripti vim contineri in verbo ἐφεξῆς, et ἐφεξῆς διιέναι, *progressu continuo persequi*, opponi alteri cuidam rhapsodorum consuetudini, quum alias saepe eas quisque partes pronunciaret, quas ipse vellet. Hinc etiam illud ἠνάγκασε (*hielt an*) natum est, quod, si vere existimare vultis, non quidem *coactos* (Ulrici, I. 249), sed de certa jubentis vo- VI
luntate praescripto *astrictos* rhapsodos declarat. Is enim verbi in tali genere usus est: Plat. Protag. 326 C. de leg. VII. 811 D. Arist. Equit. 508 (511), in quibus ll. magistros, discipulos, choreutas, non invitos illos quidem, sed certa jubentis voluntate attineri videmus. Verum alterum addam. Quod illi ἐφεξῆς adjectum est ἐξ ὑπολήψεως, id rapsodiae carminis continui novae aliquid notae afferat necesse est, sed tale, quod item ad persequendum fecerit. Hoc quale fuerit cognoscitur ex simili ἐξ ὑποδοχῆς ap. Athen. XV. 694 A. ubi scoliorum genus quoddam et usus sic decribitur: τὸ δὲ δεύτερον, ὃ δὴ πάντες μὲν ᾖδον, οὐ μὴν ἀλλάγε κατά τινα περίοδον ἐξ ὑποδοχῆς. Idem genus a Dicaearcho ap. schol. Plat. p. 340. (ubi excidit τὸ δὲ) dicitur τὸ δὲ καθ᾽ ἕνα ἑξῆς (ᾀδόμενον). Accedit ibidem explicatio Aristoxeni: παρὰ μέρος ἑξῆς μυῤῥίνας ἔχοντες ἢ δάφνας ᾖδον, et: ἡ δὲ περίοδος σκολιὰ ἐγένετο. Cfr. Philoch. ap. Athen. XIV. 630 F. (s. p. 39. Siebel.). Cognoscimus jam illud ἐξ ὑποδοχῆς, adjectum verbis κατά τινα περίοδον, ita dici, ut in circuitu alter quisque convivarum alterius cantum exceperit, postquam frondem ab eo accepisset. Plane similis erat rhapsodorum consuetudo ex instituto quidem Panathenaico. Quos quum fronde similiter usos esse sciamus, verissime Ulrici rhapsodiam ab Hipparcho praescriptam illoque ἐξ ὑπολήψεως significatam cum tradendae frondis usu conjunctam interpretatur; quovis autem pacto series quaedam excipientium sese et idem carmen persequentium rhapsodorum declaratur; ut merito miremur, quid amplius negitet renuatque Bernhardius p. 231. Superest tertium, si non par, at simile ἐκ διαδοχῆς, *per successionem*. Aristoteles, ut discernat τὸ ἐχόμενον et τὸ συνεχὲς, Phys. auscult. V, 4 med. οἷον ἡ λαμπὰς (lampadophoria) ἐκ διαδοχῆς φορὰ ἐχομένη (ἐστίν), συνεχὴς δ᾽ οὔ. Id. Sophist. elench. s. fin. οἱ δὲ νῦν εὐδοκιμοῦντες (rhetores) παραλαβόντες παρὰ πολλῶν, οἷον ἐκ διαδοχῆς κατὰ μέρος προαγαγόντων,

οὕτως ηὐξήκασι. Cfr. Lucian. Amor. 24 extr. T. V. p. 296. Differt *διαδοχὴ* ab *ὑποδοχῇ* et *ὑπολήψει* eo, quod illa communis est omnium, qui sive in ejusdem rei possessionem sive in eandem operam succedunt, hae vero seriem declarant eorum, qui relictas ac traditas partes suscipiunt et opus inchoatum continuant. Dion. Antiqu. VII, 27. *οἱ δήμαρχοι —, παριόντες ἐκ διαδοχῆς,*
VII *πολλὰ τῶν πατρικίων κατηγόρουν.* V. Schaefer. melet. p. 71. Lexic. Polyb. s. v. Neque illud, quod est ap. schol. Pindari ad Nem. 11, 1. *Ὁμηρίδας ἔλεγον τὸ μὲν ἀρχαῖον τοὺς ἀπὸ τοῦ Ὁμήρου γένους, οἳ καὶ τὴν ποίησιν ἐκ διαδοχῆς ᾖδον,* quidquam ad rhapsodiae rationem pertinet, sed posteri poetae, id quod posterorum est, carmina ex hereditate accepta cecinisse perhibentur; id quod monitum volo propter unum B. Thierschium (de aetate et patr. Hom. p. 107). Dixi de uno; sequatur *ὑποβολὴ* Diogenis.

Quicunque usum vocabulorum *ὑποβάλλειν* et *ὑποβολὴ* ita ut interpretem decet cum Diogenis loco commiserit, is fateatur necesse est, Diogenem, quem scriptorem dubitamus utrum negligentiorem ipsum an neglectiorem ab opera critica dicamus, aut ipsum aliud quid scripsisse atque nunc legitur, aut verba ab antiquiore auctore accepta perperam esse interpretatum, nisi non tam enarrare quid esset *ἐξ ὑποβολῆς ῥαψῳδεῖν,* quam referre voluerit, quid injunxisset *ὑποβολή,* vel quae re vera forma fuisset rhapsodiae praescriptae. Non vacaverat ei rei examinandae Boeckhius, quum ea scripsit, quae sive mihi sive Hermanno opposuit. Aliter enim et ex adjectis illis *ἦν δὲ μάλιστα* rel. suspicionis aliquid collegisset, neque defecisset ab ea norma, quae singulos locos ad communem usum revocare jubet. Nunc primum sic disputat, quasi locus Diogenis is certe, quem quaerimus, insignis sanitate integri testimonii fidem praeferret; deinde, quod sumpsit, *ἐξ ὑποβολῆς ῥαψῳδεῖν* dictum esse idem quod *ἐξ ὑπολήψεως διιέναι,* argumentatione potius aliqua quam exemplorum auctoritate firmavit; neque enim habuit quidquam exempli, quod in rem suam asciscere posset, nisi locos Homeri (Il. *τ,* 80. *α,* 292) eosque controversos, et ab Aristarcho (v. diplen schol. A.) ad communem usum revocatos. Porro autem minus etiam recte ea quae argumentando constituerat titulo cuidam Teio explicando adhibuit (t. 3088), in quo quum ex certamine juvenilium exercitationum victores recenseantur, adultioris aetatis certamen ponitur *ὑποβολῆς ἀνταποδόσεως,* mediae *ὑποβολῆς.* Jam

Boeckhius simul analogia abusus ludorum Chiorum, in quibus rhapsodia puerorum commemoratur, simul sua illa Diogeniani loci interpretatione citius in verba dissimillima translata eo pervenit, ut *ὑποβολῆς ἀνταπόδοσιν* et *ὑποβολὴν* simpliciter positam non aliam esse affirmaret quam rhapsodiam vel rhapsodiae illud genus, quum alter alteri successerit. Nollem summae VIII
auctoritatis virum interpretationis tam imperiosae exemplum exhibuisse. Mali enim profecto exempli est, propter argumentationis et analogiae adminicula quaedam id statuere, quod reprobet usus isque haudquaquam obscurus aut inconstans, sed perpetuus et luculentissimis exemplis comprobatus. Notavit argumentationis vitia Hermannus, idemque usum et in apertis locis demonstravit et vindicavit in dubiis; verum de inscriptione Teia ne ipse quidem ea commentatus est, in quibus acquiescere possimus. Qui quod interpretatur *ὑποβολὴν ἀνταποδόσεως* *suggestionem* s. adstante suggestore *recitationem diverbii, ὑποβολὴν* autem simpliciter positam *recitationem:* primum illud non animadvertit, suggestorem adolescentibus puerisque sine dubio esse magistrum, recitationem autem ab eo appellare, quod adstiterit monitor, qui ex scripto verba suggereret, Graecis non magis consentaneum esse quam nostrum quisquam declamitandi exercitationem appellet suggestionem. Neque *ἀνταπόδοσιν* divellere ab *ὑποβολῇ* divulsamque interpretari diverbium licet. Sed age rem uberius persequar.

Ἀνταποδιδόναι, 1) trans. *vicissim exhibere, reddere, ponere adversum,* 2) intrans. *respondere, adversum tenere, in contrarium verti,* quamquam variante nonnihil usu, vix tamen reperiri puto nisi sic ut alterum aliquid ad prius aliquid referatur; neque mutua ea dicitur actio, ut *ἀνταπόδοσις τῶν αἰχμαλώτων* ap. Dion. Cass., nisi ex alterius ad priorem ratione. Ap. Plat. Phaedr. 236 C. histriones arguuntur dicta inepte *reponentes, ἀνταποδιδόντες ἀλλήλοις.* Demetr. de eloquut. 79. *Οὐ πᾶσαι μέντοι* (metaphorae) *ἀνταποδίδονται, ὥσπερ αἱ προειρημέναι· ἐπεὶ τὴν ὑπώρειαν μὲν τῆς Ἴδης πόδα ἐξῆν εἰπεῖν τὸν ποιητὴν, τὸν δὲ τοῦ ἀνθρώπου πόδα οὐκέτι ὑπώρειαν εἰπεῖν.* Tantum quum constet, unum dubitaverit quispiam, an ubi plures numero sese excipiunt, datio vel redditio non redire dicatur ad primum, sed ab altero propagari ad tertium ac deinceps reliquos. Exemplo esse videtur *tessera* ap. Xenoph. Disc. C. III, 3, 58. *ἐπεὶ δὲ πάλιν ἧκε τὸ σύνθημα ἀνταποδιδόμενον.* Rediit tessera sane

ad ducem qui primus dederat; sed ambigitur, utrum dicatur omnino per vices tradita an *contrario ordine* ab iisdem redhibita esse principi. Mihi propter usum hoc alterum rectius intelligi videtur. Usum ita recognitum
IX si transferimus ad inscriptionem Teiam nihil esse dubitationis potest, nisi utrum *ὑποβολῆς ἀνταπόδοσις* ea dicatur, qua quis verba suggesta (*τὰ ὑποβληθέντα*) reddiderit, an qua ipsam suggerendi actionem repetierit. Quod antequam componatur, *ὑποβολῆς* notio seorsum consideranda est.

Non est quod retractem ea, quae Hermannus Op. V. 304 et 5. verissime posuit; attamen, quoniam posterioris aetatis usus maxime quaeritur, persequenda sunt et explenda. Demonstravit luculentissime Herm. veram notionem verborum *ὑποβολὴ*, *ὑποβολεὺς*, *ὑποβάλλειν*, *ὑποβλήδην;* quae nusquam interpolatam vel susceptam orationem significant; neque unquam ejus sunt, qui instituat orationem alteri continuandam, sed semper illius, qui suggerat, quod ipsum alter vel repetat vel recordetur vel denique usurpet. Sed attinet primum verbo admonere eorum verborum, quae in sola praepositione metaphoram habent, ut *ὑπειπεῖν*, *ὑπολέγειν*, *ὑπαγορεύειν*, *ὑπογράφειν*, *ὑποκελεύειν*, ut alia taceam. Ne haec quidem subjunctam alteri orationem vel omnino operam continent, sed eam potius, quae ansas ac principia exhibeat,*) vel rationem sequendam praeeat, vel denique doceat et aperiat. Ipsius autem *ὑποβάλλειν* verbi usus hic translatus non ad Boeckhianam quidem interpretationem unquam declinat, sed multo tamen plus variat, quam Hermannus demonstravit. Primum enim illud *λόγον ὑποβάλλειν* (v. synonyma ap. Bachm. Anecd. II. 90. et schol. Arist. ad Plut. 109), etiam ipsum multiplex est; deinde verbum praeterea prope omni varietate utitur. quam in suggerendi notione fingere possumus. **) Suggerit *λόγον* non modo is, qui ipsa

---

*) Praepos. in his aequat nostras *an* et *vor:* *ὑπογράφειν*, *vorzeichnen*, *ὑφηγεῖσθαι*, *anleiten*, (Pl. Prot. 326 D.), *ὑπειπεῖν*, *ansagen*, *angeben* (sonum, nomen, sententiam, modum, Dial. de virt. §. 6. Demosth. c. Aristocr. p. 637, 13. al. Plat. Prot. 343 C. ubi falso Stallb.) *ὑπαγορεύειν*, *vorsagen*, Plut. num seni resp. 14. Idem de audit. 8. s. fin. *ὑπολέγοντος αὐτοῦ τοῖς χορευταῖς ᾠδήν τινα πεποιημένην ἐφ' ἁρμονίας*. V. praeterea Baehr. ad Plut. Pyrrh. 13. p. 173.

**) Plut. de sui laude 21. *δέλεαρ μικρὸν εὐλογίας ὑποβάλλοντες*.

verba praeit, ut *statim* sive reddantur, velut in jure jurando, sive perscribantur, verum etiam qui aliquem subornat ad orandum, vel dicendi materiam suppeditat, vel denique argumentum ponit: Dio s. Xiphil. LXXXVIII, 32. *ἐδημηγόρησεν ὑπόβλητα.* Lucian. Jupp. trag. 32. extr. T. VI, 263. Bip. Idem rhetorem ineptum docet, quomodo faciendum sit *ἐπειδὰν — οἱ παρόντες ὑποβάλωσί τινας ὑποθέσεις καὶ ἀφορμὰς τῶν λόγων,* rhet. praec. 18. T. VII, 237. idemque in Demosth. encom. 21. *ἔχειν ἀποχρῶσαν λόγων ὑποβολὴν* ea potestate dixit, ut *ὑποβολὴ* fere sit pro *ἀφορμῇ* vel *ἀρχῇ.* *) His locis si adjicimus ej. Toxar. 35. T. VI. 97. et pro Imag. 19. extr. ubi exempla, quae illustrent, nunc a memoria nunc ab ipso quasi orationis progressu *ὑποβάλλεσθαι* dicuntur, videmus usum verbi ab hac levissima suppeditandi potestate usque eo pertinere, ut *ὑποβαλεῖν* etiam is dictus sit, qui cum auctoritate quadam orandi vel disserendi argumenta poneret vel faceret principia. Quae varietas omnis quum in *ὑποτιθέναι* pariter cadat, tamen in substantivis ea obtinet diversitas, ut *ὑπόθεσις* omnino argumentum sit, *ὑποβολὴ* non sit nisi suggestum positumque ab altero argumentum. — Verum suggeruntur non ea tantum, quae ad dicendi copiam faciunt, sed etiam quae ad agendum, diciturque *ὑποβάλλειν* qui admonendo vel cavet vel auctor est, ut alter recte faciat, neve recti normam excedat: Plut. de cohib. ira 11. Xen. Cyr. disc. III, 3, 55. et ib. §. 37. *εἰ καὶ ἐξ ὑποβολῆς δύναιντ᾽ ἂν ἄνδρες ἀγαθοὶ εἶναι.* Magis etiam ad agendum spectat consiliorum voluntatumque *ὑποβολή*, quam, si verum vidit Schweighaeus., Polybius IX, 24, 3. usurpavit (*τὰς μὲν τῶν περιστάσεων ὑποβολὰς —, τὰς δὲ τῶν φίλων,* quas nos *Eingebungen*). — Porro autem admodum consentaneum est, eos quoque dici *ὑποβάλλειν,* qui sive testes subornent (Lys. adv. Agor. 461, 9), sive insidiarum administros mandatis instruant, ut ap. Polyb. XV, 2, 12. ubi res aperte quidem sed a condoctis compositisque geritur: *ἐπανάγονται τρισὶ τριήρεσιν ἐξ ὑποβολῆς,* h. e. ex mandato.**)

*) V. Plut. Sympos. IV, 3 init. II, 1, 3. Sinten. ad ej. Themist. p. 146. Valcken. de Aristobulo Iud. 65. et de *ἀρχῇ* Pl. Sympos. VIII, 10, 1. *τὴν πολυμάθειαν πολλὰς ἀρχὰς ποιεῖν.*

**) Schweigh. quod recte reposuit pro *ἐξ ὑπερβολῆς*, id male interpretatur quasi *ex insidiis.* Nam III, 104, 1. rectissime habet *ὑπερβολὰς*, quae sunt montium altitudines ut ap. Plut. Mar. 23. altero autem l. ib. 105, 1. restituendum *ἐπιβολή.*

Persequuti sumus usum translatum fere omnem, qui in quaestionem venire potest. Non praetermittam tamen Hermogenis illud ἐξ ὑποβολῆς, cujus
XI admonuit Bernhardius, quod haud scio an recte rhetoricae fere proprium dicam. Hermog. de ideis I, p. 194. T. III. Walz. ubi in γλυκύτητος genere demonstrat, quae sint ἔννοιαι et quae μέθοδοι, has sic describit: μέθοδοι δὲ τὸ προηγουμένως καὶ σὺν ἀφηγήσει αὐτὰς διεξιέναι, ἀλλὰ μὴ ἐξ ὑποβολῆς ἤ πως ἑτέρως. His verbis methodum informat tanquam habitum ac tenorem orationis, quatenus ex materia aptus est. Habitum autem γλυκύτητος, qui narrationi fabulari proprius est, eum esse vult, qui neque περιβολὰς habeat vel παρεμβολάς (πως ἑτέρως), neque res narratas subjiciat vel implicet propriis cogitationibus (v. p. 204. cl. p. 319). Ergo ὑποβολὴ videtur esse quaedam *subsumptio*, si res narratas spectamus, sin orationis formam, *substructio* s. *fundatio*. V. schol. Max. Planud. T. V. 452. Plane similiter ὑποβάλλειν usurpavit Dion. Hal. Rhetor. c. 4. Erit tamen, qui Hermogenem ὑποβολῆς vocabulo omnia complexum esse malit, quae oratores ad commonendos fingendosque audientium animos de suo immiscere possunt. Postremo ne ista quidem Hermogenis ὑποβολὴ interpellatio est.

Consulto in hunc locum rejeci peculiare quoddam genus exemplorum, quod ad inscriptionem Teiam praecipue pertinet. Cognitum testatumque habemus illum Graeciae morem, quum magistri pueris carminum verba ediscenda praeirent (ἀποστοματίζειν, Plat. Euthyd. 276 C. 277 A. Macrob. Sat. I, 24. p. 314. Gron.); novimus etiam histrionum illos choreutarumque διδασκάλους et ὑποδιδασκάλους (v. Euripidem ὑπολέγοντα ap. Plut. de audit. 8. Simon. ap. Athen. 456 F.). In horum utrosque et omnes omnino magistros et exercitores egregie profecto convenit ὑποβολή, qualem fere jam supra in exemplis Xenophonteis vidimus. Magistri enim sive verba praeibant, quae redderent discipuli, vel varium artium quos imitarentur modos, sive exercitantibus sese monitores adstabant, sive denique jam institutis et condocefactis traditarum artium specimina imperabant, ea magistrorum opera omnis ὑποβολῆς vocabulo recte appellabatur. Vocabuli in eo ipso genere usurpati non desunt exempla. Dio seu Xiphil. LX, 20. de Nerone ad citharam canente: καὶ αὐτῷ καὶ ὁ Βοῦῤῥος καὶ ὁ Σενέκας καθάπερ τινὲς διδάσκαλοι ὑποβάλλοντές τι παρειστήκεσαν. Lucian. Asin. 10. T. VI. 141. Ὦ διδάσκαλε, ὁρᾷς ὅπως

εὐχερῶς καὶ εὐηκόως πεπάλαισταί μοι, σκόπει δὲ, μὴ οὐκ ἐν κόσμῳ τὰ παλαίσματα ὑποβάλλῃς· ἀλλὰ γὰρ ἐξ ἄλλων ἐπιτάττεις. Differt inter se horum ὑποβολή; XII
illi enim adstant Neroni, quasi si discentis exercitationes regerent, hic vero Lucianeus non luctantem monitis regit, sed ipsos numeros modosque luctae, quos discipulus exsequatur, imperat ὑποβάλλει = ἐπιτάττει). Plane similiter *Xenophon* de rep. Laced. 3. de Lycurgo: τηνικαῦτα πλείστυς μὲν πόνυς αὐτοῖς ὑπέβαλε; haec enim codicum est lectio. Lycurgus non praesens quidem, sed lege quasi gymnasiarcha *injunxit, imperavit* labores. Quodsi ejusmodi discipulis, vel etiam choreutis carmina modosque discentibus, suus doctor recte dicebatur ὑποβολεύς; iidem quum ea quae didicerant in scena aliqua exhibebant accurate, sine dubio non minus recte τὸν ὑποβολέα audire, vel ἐξ ὑποβολῆς facere dicebantur. Quare mihi nondum satis exploratum videtur, Plutarchum in Polit. praec. 813 F. (IV, 1. 262. W.) verbis τοὺς ὑποκριτὰς τοῦ ὑποβολέως ἀκούοντας nobis suggestorem illum monitoremve exhibuisse, qui histrionibus in scena opitulatur. *)

Parata jam videntur, quibus ad enarrandum tituli Teii elogium commode utamur. Juvenilium ejusmodi exercitationum certamina, quamvis publice a magistratu instituerentur, ad magistros tamen multum pertinebant. Neque solum honos a discipulis, qui excelluerant, ad τοὺς εὐδοκιμήσαντας τῶν διδασκάλων perveniebat (ut in exemplo simillimo Plutarchus demonstrat Sympos. IX, 1. init.); verum ne in ipsa quidem concertatione, quam explorationem merito dicas, fieri poterat, quin magistrorum opera varia esset. Quid enim? certamen πολυμαθίας qui transactum putemus, nisi per interrogata et responsa? Omitto conjecturam, quae mihi de ἀναγνώσει provectiorum subnata est. Verum quod ὑποβολῆς ἀνταποδόσεως et ὑποβολῆς certamina juvenilia commemorantur, nescio an ipsa vox ὑποβολῆς magistros offerat, vel aliquem certe requirat, qui magistrorum more fecerit. Quoniam enim intellectum est, cadere ὑποβολὴν prae omnibus in magistros, h. l. certe vix possumus aliam interpretari. Neque nunc amplius dubium videtur, quin ἀνταπόδοσις dicatur τῶν ὑποβληθέντων, eaque fuerit discipulorum, suggestori suo obtemperantium. Si de re ipsa, quam

---

*) V. Langii Vindic. tragoed. Rom. Parerg. 2. De Latinorum verbo *monere* adde Plaut. Bacch. init. genuinum.

discipulos reddidisse putemus, etiamnum ambigimus; primum certe usus,
XIII in quo ἀνταποδιδόναι cum cognatis versatum esse videmus, sententiae non obstabit. Ingravescit interdum praefixa ἀντ praepositio, alias nihil agit nisi ut vicissim exhiberi aliquid dicatur vel id quod respondeat. Et Dio Cass. eo verbo vocem a montibus redditam narravit, Hermogenes rhetor ἀπόδοσιν et ἀνταπόδοσιν enuntiatorum promiscuas habet. Denique, ni fallor, Plutarchus Sympos. IX, 2, 1. solutionem propositorum problematum ἀνταπόδοσιν appellavit. Verba haec sunt: προςέταξεν — γεωμέτρῃν γραμματικῷ προτεῖναι, καὶ ῥητορικῷ μȣσικόν· εἶτα ἔμπαλιν ἀναστρέφειν τὰς ἀνταποδόσεις, h. e. deinde in contrarium invertere respondendi officia, ita ut geometra grammatico, rhetori musicus responderet. Differt quidem ab hac problematis illa ὑποβολῆς ἀνταπόδοσις tantum quantum ὑποβολὴ a positione problematum; sed ἀνταποδȣ̃ναι recte dicetur etiam discipulus, qui reddiderit vel exhibuerit ea quae magister exhibenda significavit. Iam quum de eo, quid tandem exhibendum mandaverit magister vel alius, qui ejus munus susceperit, multa conjicere possimus;*) disciplinae antiquae ratio sic mihi persuadet. Probabiliter fingo, magistrum in ipso certamine adstantem brevi significatione imperasse, quae carmina discipuli memoriter exhiberent. Qui fortasse modo hunc modo illum locum inchoabat recitandum, ut memoriae ea et capacis ac tenacis, et promptae exercitatio esset. Quum autem ejus exercitationis vis atque ratio omnis ex hypobole magistri apta esset, factum esse sumo, ut eadem breviter etiam solo ὑποβολῆς vocabulo diceretur. Nam quominus eam intelligamus, qua magister adolescentes in ludo instituerit, id ipsum prohibet, quod ipsa in titulo posita est. Alia omnia statueremus, si ὑποβολῆς καὶ ἀνταποδόσεως certamen appellaretur.

Superest, ut de Diogenis loco breviter concludam. Admonitus a Welckero illud intellexi: quidquid turbaverit vel Diogenes ipse vel librarius, certe verborum complexionem eam esse, ut Dieuchidas ab utroque, et Solone et Pisistrato, operam aliquam in Homeri carminibus collocatam testatus esse reperiatur. Rursus autem, quid ille utrique eorum tribue-

---

*) Licet enim reddere: *Im Leisten, Lösen von Aufgaben.*

rit operae, non liquere video. Etiamsi enim fingas scriptoris Megarensis haec fere fuisse verba: *γέγραφεν ὁ Σόλων τὰ Ὁμήρου ἐξ ὑποβολῆς ῥαψῳδεῖσθαι· μᾶλλον οὖν οὗτος Ὅμηρον ἐφώτισεν ἢ Πεισίστρατος*, primum *μᾶλλον* perspici nunc non potest utrum *potius* an *plus* an *magis etiam* an denique *citius* significet; deinde in *ἐφώτισεν* si qua inest ironiae acerbitas, id quod Welckerus voluit, ea non minus facile Solonem tangebat quam Pisistratum. Neque probabile est Dieuchidam, si Athenienses in caussa Salaminia testimonio Homeri asciticio usos esse narrabat, de Solone nihil esse testatum nisi institutam ab eo rhapsodiam Panathenaicam. *) Imo non prorsus temere faceret, si quis Dieuchidam illud *ἐξ ὑποβολῆς* ex altera metaphora posuisse suspicaretur, ut Solon subditicium testimonium Homeri, vel etiam subornatos a se rhapsodos in publicas recitationes induxisse diceretur. Scilicet in omni expediendi loci conatu pungunt nos extrema illa: *ἦν δὲ μάλιστα* —, quae Welckerus non satis composuit. Ea ipsa ut primum ad Solonis institutum referenda putaveris, concedas necesse est, subjuncta illa *οἷον ὅπου* rel. Diogenis esse non Dieuchidae. Et Bernhardius quidem ante haec potissimum verba excidisse putat ea, quae de Pisistrato fuerint. Sed ita Soloni *ἐφώτισεν* illud nequaquam constabit. Minus etiam rem expedivit Ulricius; qui quem rhapsodiae *ἐξ ὑποβολῆς* factae modum informavit (I. 247 sq.), is neque ad artis usum probabilis est, neque ex verborum significatione ullo modo duci potest. Verum, quum Diogenis locum universum nullo pacto possimus pro integro habere, et Welckeri interpretatio etiam eo laboret, quod longe major probabilitas est, rhapsodiae illam rationem ab Hipparcho potius esse institutam; tamen nunc tantum quaeramus, quid Diogenes, vel primorum ver-

XIV Welckerum non intellexit. p. 279.

---

*) Ap. Plut. Solon. 10. soli Athenienses ipsi negant omnino Homerum illius caussae testem esse adhibitum; qui vero dicuntur Solonem insimulasse *οἱ πολλοί*, his non possumus quin Megarenses prae ceteris annumeremus, maximeque eum qui ibidem affertur Heream. Quodsi idem ap. eund. in Thes. 20. a Pisistrato potius Hesiodi et Homeri carmina interpolata esse narrat; totam rem sic optime componemus, ut a Megarensibus utrique, et Soloni et Pisistrato, culpam communicatam putemus, quippe quum bello Salaminio uterque interfuisset; ut modo hunc modo illum ponerent.

borum auctor, scripsisse videri possit. Hoc si quaeritur, equidem sic decerno, uti supra professus sum. Neque Diogenes neque quisquam alius id
XV potuit appellare *ἐξ ὑποβολῆς ῥαψῳδεῖσθαι*, quod verba explicationi adjecta enarrant. Fieri autem potuit, ut Diogenes non tam id ipsum, quod recte diceretur *ἐξ ὑποβολῆς ῥαψῳδεῖν*, quam rhapsodiae Atticae rationem interpretaretur aliunde sibi cognitam. Nam si quis auctor rhapsodos Athenis *ἐξ ὑποβολῆς ῥαψῳδῆσαι* scripsit, proximum quidem fuit ad intelligendum, id quod Bernhardius interpretatur, ut rhapsodi ab aliquo, qui de scripto carmina praeiret, condocefacti itaque fidei exempli attici obligati esse putarentur. Deinde vero ea quoque *ὑποβολὴ* quaedam potuerat dici, si iis describebantur partes, quas quisque pronunciaret, itaque persequendi carminis lex ac norma injungebatur. Quum enim *ὑποβολὴ* omnino instruere dicatur ad agendum et dicendum, vel mandare, quae alter exsequatur; semper tantum vel injungere vel praeire putanda est, quantum opus fuerit.

Corrigenda.

P. 14. l. 3. pro *referat* scribe *referas.*
P. 22. l. 9. dele *sui.*
P. 46. l. 13. pro *ad eo* scr. *adeo.*
P. 53. l. 31. pro *propius* scr. *proprius.*
P. 62. notularum asteriscis commutatis pro *) scr. **) et contra.
P. 66. l. 26. pro *Opera et Dies quidem* scr. *ne Opera et Dies quidem.*
P. 72. l. 14. dele comma ante voc. *illas.*
P. 73. l. 1. pro *ἱερυγίας* scr. *ἱερουργίας.*
 ib. l. 17. post *Aristot.* incere II.
 ib. in notula pro *natales* scr. *natalis.*
P. 80. l. 2. pro *sid* scr. *sit.*
 ib. l. 11. pro *multam* scr. *multum.*
 ib. l. 21. post *fabulas* insere *aut texuisse.*
P. 85. l. 37. pro *quo Hesiodum* scr. *atque Hes.*
P. 87. l. 2. pro *Κυμαῖοι* scr. *Κυμαῖον.*
P. 98. l. 3. pro *adjiciendum* scr. *abjiciendum.*
P. 100. l. 10. dele punctum ante *Homerum.*
P. 124. l. 24. pro *τὸν πρῶτον* scr. *τὸ πρῶτον.*
P. 128. l. 26. pro *ῥαψῳδικῶς* scr. *ἐῤῥαψῳδικῶς.*

Nitzsch ist sehr unrecht, giebt Allen etwas ab:
S. 62. Nitzsch u. Göttling. [illegible] Boeckh. $\frac{137.}{p. 71.}$) und meiner
Wenigkeit an unseren Stellen, vorzügl. S. 101 – 106. welche allein durch sie [illegible] ist.
dann S. 126. Bernhardy XIII. unten, [illegible] XIX

Theogonia non integra vel incorrupta ad nos perlata est
Opera et Dies integra ad nos perlata sunt. p. 66.

Schola Homerica, quippe a qua Ilias et Odyssea imitando et interpolando
conficta sit, nulla fuit. Nam Homeridae Chii, qui aliquam speciem
ejus scholae prae se ferre videntur, nihil fuerunt [illegible] 71. sq.

O. Müllers Gründe, daß die Hom. Gedichte nicht urspr. geschrieben p. IX f. unten.

Certa Hesiodea. p. 65.

[illegible]

Rhapsodie u. [illegible] 124

[illegible] 126

[illegible] 128

[illegible] 129

[illegible] 130

Nur die [illegible] ... die Dichter [illegible] 131

In der [illegible] ... 133

über die ὑποβολῆς [illegible] 134

[illegible] ist nicht klar 142. [illegible] ὑποβολῆς [illegible] 144.

Homeridae Chii non poetae erant, sed rhapsodi et citharoedi. 64.
Nach Welcker waren sie allerdings Dichter u. vom Chiischen Homeriden Kynaithos sind Gedichte bekannt. (Welcker d. ep. Cyklus. S. 366.)